
SALOMON,

Siue

PRO RELIGIONE CATHOLICA
& dignitate ſacerdotali.

AD SERENISS: SIGISMVNDVM TERTIVM, POLONIAE REGEM,

Petri Liliæ, Sacræ Theologiæ Doctoris.





CRACOVIÆ,
Ex Officina Lazari, Anno Domini,
M. D. Lxxxviij.

Cant. III.

EGREDIMINI ET VIDETE FILIÆ SION REGEM SALOMONEM, IN DIADEMATE, QVO CORONAVIT ILLVM MATER SVA, IN DIE DESPONSATIONIS ILLIVS, ET IN DIE LÆTITIÆ CORDIS EIVS.

SALOMON,

Siue

PRO RELIGIONE CATHOLICA,

& dignitate ſacerdotali.

Ad ſereniſs. Sigiſmundum Tertium Poloniæ Regem.

PETRI LILIAE, S. T. DOCT.



Vm Regum ſapientia & pietas totius Reipub. ſit firmamentum, SIGISMVNDE REX SERENISSIME; profectò, in hoc tuo in regnum Poloniæ primo & optatiſsimo ingreſſu, illorum gratulatio meritò principem locum obtinuit, aliaque omnia beneuolentiæ pignora, longè multumque ſuperauit: qui recta ſuadendo ad felicem huius regni gubernationem, totiq; Chriſtianæ Reipub. ſalutarem viam tibi munierunt. Vt enim ex corde & cerebro vita, omneque robur in reliqua corporis membra deriuatur; ita in totam Rempub. ſalus dignitas & ornamentum ex Regis ſapientia, veluti ex vberrimo quodam fonte, emanat. Itaque Salomon Rex omnium mortalium ſapi-

entiſsimus, diuinis oraculis plurimùm commendatur: quòd in regem Iſraëlis electus, omne boni principis decus & felicitatem in vna ſapientia ſitam eſſe iudicauerit, vnamq; ad rectè gubernandum regnum, ardentiſsimis votis à præpotenti Deo expetiuerit ſapientiam. Contrà verò vituperatur Roboam, filius tam ſapientis patris inſipientiſsimus, qui prudentium virorum conſilio repudiato, regnum illud ſapientia Salomonis in altiſsimo dignitatis & felicitatis gradu collocatum, ſcidit atque turbauit. Ego verò, SIGISMVNDE REX SERENISSIME, cùm me in tuam ſapientiam & pietatem mente & cogitatione conuerto, facilè apud me ſtatuo, hanc meam orationem, qua conſilium quoddam, ex intimis religionis Chriſtianæ arcanis depromptum, tibi optimo principi, totique Poloniæ regno non vtile ſolùm, ſed & neceſſarium explicandum propoſui, non ingratam futuram: nimirum ea ratione, & tu me benignè attentéque audiendo, principis ſapientis, & ego clarè perſpicuéque dicendo, viri boni & ſacerdotis officium, perſoluam. Quamùis autem meæ tenuitatis ſim mihi bene conſcius, probéque norim, quàm ſit mihi curta ſupellex: ſi tamen ſanctiſsimus ille Dei ſpiritus, qui cum patre & filio omnia regit & moderatur, numine cæleſti mentem meam afflaret, tantumque mihi in dicendo tribue-

ret

ret facultatis, quantum res ea, quam nunc explicandam suscepi, dignitatis habet; næ ego cum gratissimo animo, non aquam, quemadmodum rusticus quidam Artaxerxi Persarum Regi, sed magnã præstantissimi auri partem, ex quo illius admirandę statuæ Danieli prophetæ diuinitùs ostensæ caput conflatum erat, quodque aureum seculum & florentissimum Reipub. statum designabat, tibi nouo & optimo Regi offerrem. Atq; hæc quidem cùm dico, nolim existimes, REX Serenissime, me tibi aliquam doctrinam nouam, inauditam, & nuper exortam demonstraturum; Non enim ego in his nomen profiteor meum, qui pellibus ouinis cooperti, nouis subinde excogitatis dogmatibus cælum cum terra miscent, omniaque diuina & humana peruertunt iura. in doctrina antiqua & peruetusta, pro qua vitam sanguinemque meum immortali Deo deuoui, mihi permanendum esse duco: quam Patriarchæ & Prophetæ, ac ipsemet filius Dei IESVS CHRISTVS, & Apostoli tradiderunt: & admirandis editis prodigiis & miraculis confirmârunt: sanctissimi & doctissimi patres literarum monumentis illustrârunt: innumeri martyres Dei fortiter effuso sanguine obsignârunt: concilia œcumenica explicârunt: quam denique vniuersa Christi Ecclesia, quæ attestante D. Paulo columna & firmamentum est veritatis, re-

cepit & celebrauit, eamque non ab humano ingenio, sed ab ipsa Dei altissimi sapientia, primùm per ora Patriarcharum & Prophetarum, deinde per ipsius Iesu Christi os, & Apostolorum prodiisse nobis demõstrauit. Hac ego diuina & admiranda doctrina fretus, nunc breuiter ostendã in ardenti Iesu Christi religionis cultu, eiusq; sacerdotali dignitate tuenda, omnem regni administrandi felicitatem, illiusq; splendorem, & opes constitutas esse: hocq; iter esse tritum & expeditum tibi, SERENISSIME REX, demonstrabo: & ad Dei gratiam, qua Christianis omnibus nihil maius, & antiquius esse debet, & ad eam gloriam, quam laudatissimis illis & potentissimis Imperatoribus & Regibus, victoriæ & triumphi celeberrimi, ac tot tantæq; res fortiter & præclarè gestæ pepererunt. Et quoniam omne datum optimum, & omne donum perfectum, descendit à patre luminum, eundem patrem clementissimum, per Iesum Christum eius filium vnigenitum, dominum & redemptorem nostrum humillimè precor; vt & mihi dicendi copiam, resque multis obscuras explicandi industriam, & tibi SERENISSIME REX, rem tantam tamque salutarem audiendi, probeque intelligendi, gratiam largiatur.

Salomon rex sapientissimus, vt primùm ad regni Israëlitici gubernacula consedit, nihil habuit antiqui-

tiquiùs, quàm vt templo Dei magnificentiſsimè extructo, ac ingenti auri argentiq; copia locupletato, in animo populi Iſraëlitici ardens diuinæ laudis ſtudiũ excitaret: quod non à patre tantùm Dauide Rege clariſsimo, & Prophetarum principe, ſed etiã ab ipſo præpotenti Deo cæleſti & admirabili ſapientia colluſtratus didiciſſet: Omnium magnarum rerum principia à Deo immortali duci oportere. Magnum eſt hoc profectò, ad principes Chriſtianos ſingulari pietatis & religionis ſtudio inflammandos: Salomonem regem præſtantiſsimum, talibus initiis, tam florens, tam ſplendidum, tamq; admirabile regnum Iſraëliticum conſtituiſſe. Prudentis enim & optimi principis munus eſt proprium, in rebus arduis de ſapientiſsimorum hominum ſententia, conſilium capere. Sed illud multò maius eſt, totum illum diuinum & admirabilem regni Salomonis ſplendorem, ipſius Dei Opt. Max: ope & auxilio factum fuiſſe. Ex quo efficitur, Salomonis regni amplificandi & illuſtrandi, conſilium non humanum, ſed diuinum eſſe: nec ab illius ingenio, ſed ab ipſa immenſa infinitaque Dei ſapientia, qua vniuerſa mundi fabrica conſtituta eſt, profluxiſſe. Verùm regni Salomonis magnificentiam, REX SERENISSIME, parumper conſidera, vt inde clariùs perſpicias, nullam induſtriam & ingenium, nullam artem & prudentiam,

nullam

nullam ſcientiam & ſapientiam humanam, diuini conſilij præſtantiam, excellentiamq́; attingere poſſe. Quæ, cùm ex contentione ſoleant eſſe clariora, pone tibi ante oculos, magnum illum Alexandrum Græcorum regem; non tantùm hiſtoricorũ & poëtarum laudibus illuſtrem; ſed etiam ipſius Danielis prophetæ oraculo celeberrimum. In hoc enim vno ornando illuſtrandoque rege (vulgi opinione) natura omnes ſuas vires conſumpſiſſe videtur. Intuere igitur, REX ſereniſsime, magni Alexandri imperij amplitudinem: prouinciarum & regnorum multitudinem: vrbium ſplendorem: palatiorum magnificentiam: ciuium elegantiam: militum fortitudinẽ: ſenatus ſapientiam: exercitum plurimum, & robuſtiſsimũ: ipſius regis in bellis gerendis dexteritatem: in domandis hoſtibus felicitatem: authoritatem apud ſuos; terrorem apud inimicos: immenſam auri copiam: theſauros infinitos: nominis celebritatem: tot & tantas victorias & triumphos. Quid igitur hoc rege magnificentius? Paret huic Perſa, vincitur Medus, Ægyptus ſeruit, Syrus ſubiicitur, barbarus Scytha domatur, totus denique terrarum orbis vni Alexandro cedit. At vni Salomoni tantus Alexander cedat neceſſe eſt, & ſapientiſsimo & diuino Regi, concedat laurea regni. Quod ita ſe habere, ſi diligentius libros Regum, & Paralipomenon euolue-

euoluerimus,clariſsimè perſpiciemus.Eſt Salomoni ſapientiſsimo regi immenſa auri argentique copia: miro artificio fabrefacta palatia: imperij amplitudo: robuſtiſsimus exercitus: ſapientum hominum multitudo: ſacerdotum dignitas:prophetarum pręſtantia: totius aulæ ſplendor: ordo, pulcherrima virtus, in omnibus admirabilis: tot tantarumq; nationum ſubiectio: hoſtes nulli, amici omnes: ſine ſanguine triumphi: ſumma pax,optata libertas: tribunal æquiſsimum: iudex ſapientiſsimus. quæ omnia,cùm diuina illa ſapientia,quę attingit à fine vſq; ad finem fortiter, effecerit; quis dubitare poterit maieſtatem regni Salomonis, magni Alexandri gloriæ obſcuritatem attuliſſe? Mihi verò vna Regina Saba, ſuo è longinquis regionibus ad Salomonem aduentu,illaque inſolita ſapientiæ & maieſtatis illius admiratione, ſatis eam rem comprobâſſe videtur. Plurimi enim regnante Alexandro in Græcia floruerunt ſapientia & doctrina excellentes viri, Speuſippus Athenis, Calanus in India, multiq; philoſophi Pythagorici in magna Græcia; nullum tamen legimus videndi iſtius regis gratia longinquas regiones peragrâſſe,ac illius magnificentia & ſplendore ad inuſitatam admirationem raptum fuiſſe. Imò verò de Diogene philoſopho ſapientes viri memoriæ prodiderunt: illum ita longè ab admiratio-

ne magni Alexandri fuiſſe;vt cùm tantus Rex viden-
di eius deſiderio ad eum acceſsiſſet, egregiæ volun-
tatis oſtendens ſigna, ne ad punctum quidem tem-
poris, ipſius regia maieſtate, ſolis ſplendorem obte-
ri fuerit paſſus. At verò reginam Sabam, admirabi-
li fama Salomonis ſapientiæ, & regiæ dignitatis cō-
motam, è longinquiſsimis regionibus ad eum ve-
niſſe, ex ſacris literis didicimus, cuius oculis tanta
lux illius ſapientiæ & magnificentiæ oborta eſt; vt
maximæ admirationis modum prætergreſſa, non
Salomonem tantùm, tam admirabili ſapientia & di-
gnitate illuſtrem; ſed etiam eos, qui tanti regis iuſ-
ſa capeſſerent, felices & beatos eſſe prædicârit.
Quàm diſsimilis, non in diſsimili externo apparatu,
regiæ dignitatis amplitudo! Illum Diogenes Philo-
ſophus contemnit, illiusq; magnificentiam & opes
ſuo dolio inferiores ducit; hunc vero regina Saba
ſuſpicit & admiratur. at, quæ regina? ea, quæ
non philoſophorum ſententia, non Delphico oracu-
lo, ſed ipſius Ieſu Chriſti teſtimonio, non tantùm
Iudæorum ſcribas, ſed etiam plurimos Chriſtianos
ſapientia ſuperauit: ac in illo extremo tremendoq;
iudicio, in quo in faſtum, ſuperbiam, & inanes pom-
pas maxima decernentur ſupplicia, ſuo ſtudio mul-
torum Chriſtianorum, condemnabit ignauiam. Ita-
que Alexandri magnificentia inanis, vtpotè inflata,
ſuper-

ſuperba, ambitioſa, crudelis, Salomonis ſalutaris; quippè quæ de theſauris cæleſtibus donata, maximis virtutibus aucta & corroborata fuit. O admirandam Salomonis ſapientiã, quæ cum tanta gloria & ſplendore, Dei gratiæ acquirendæ artes mirabiliter coniunxit, & vnde alij virtutis naufragium faciunt; inde ille ad ipſius virtutis & pietatis arcem peruenit. Manifeſtè igitur nobis regina Saba oſtendit Salomonem magni Alexandri regium apparatũ, longo interuallo poſt ſe reliquiſſe. Verùmenimuerò hęc tam ſingularis Salomonis magnificentia, Magni Alexandri gloriam, vulgi opinione maximam, longiſsimè antecedens, facilè cuiuis apparebit, qui modò acrem animum in vtriuſq; imperium intenderit. Immenſam auri copiã habuit Alexander; habûit & Salomon: longè ſuum regnũ extenderat Alexander; extendit & Salomon: vrbes plurimas, magnifica palatia, ciuium ſplendorem, inſignium virorum copiã habuit Alexander; habuit & Salomon: ferociſsimos quoſq; hoſtes domuit Alexander; domuit & Salomon: fortiſsimum habuit exercitum Alexander; fortiorem habuit Salomon. Ac ne quis hæc verbis à me ampla fieri exiſtimet, libri Regum & Paralipomenõ rem ita ſe habere, ſatis apertè docebũt. In quo enim Magni Alexandri militũ aut Græcorum tantum robur & animi magnitudo enituit; quantã in Iſraëlito

illo exercitu, qui mortuo Dauide in poteſtatem Salomonis vēnit, cernere licet? Laudantur Epaminondas, & Pelopidas Thebani: celebrantur Chabrias & Iphicrates Athenieñ. Hepheſtionis, Clitonis, Achillæ, Eumenis, Phylotæ, multorumq; aliorũ, qui caſtra Magni Alexandri ſequuti ſunt, rei militaris gloria ora hominũ peruagatur: ſi tamẽ vera eſt de Herculis fortitudine antiquitatis ſententia; nullus Græcorum Herculem, robore corporis & animi magnitudine adæquauit, de quo illud in prouerbiũ abiit: Ne Hercules contra duos. Atqui Banaias filius Ioiade Iudæus, duos fortiſsimos viros Ariel & Moab trucidauit: leonem, veluti alter Samſon, in media ciſterna
1. Par. 11. interemit, & Ægyptium virum fortiſsimum, altitudine quinque cubitorum, & lanceam vt licitatoriũ texentium geſtantem, proſtrauit. at, qua fortitudine? non ex inſidiis, vt Græci plerunque ſolebant; ſed aperto Marte contra eum progreſſus, haſtam ex manibus illi eripuit, eademque tam vaſtum Gigantem confixit. Sed quid ego in Banaia viro fortiſsimo immoror? Iesboam filius Hachmoni, non cum duobus, non cum tribus, non cum triginta, non quinquaginta fortiſsimis viris, non denique cum centum; ſed quod incredibile videtur, veriſsimum tamen eſt, vnus cum trecentis congreſſus eſt, ac eoſdem omnes vulneribus affectos profligauit. Eadem

dem animi magnitudo & robur, Abiſai fratri Ioab tribuitur, qui eadem ratione vnus trecentos ſuperauit. Quem igitur, aut vnus Alexander Macedo, aut omnes, vnà cum Alexandro, tam Græci, quàm Latini Imperatores Hectorem, quem Achillem, quem Vlyſſem, quem Herculem, tantæ Hebræorum fortitudini opponere poterunt? Sed illud factum admirabile, trium fortiſsimorum militum, hoc loco præterire non poſſum. Dauid Rex Salomonis pater, poſt celeberrimam illam victoriam, qua pauciſsimis ſtipatus militibus, maximum Philiſtinorum exercitum fudit, ardentiſsimam ſitim aquæ potione ex ciſterna Bethlehem pellere deſiderat. en igitur tres robuſtiſsimi milites in maximum Philiſtinorum exercitum irruunt, mediam aciem hoſtium perrumpunt, & aquam hauſtam ex ciſterna Bethlehem Dauidi afferunt. O fortitudinem admirabilem, ô inauditam animi magnitudinem! Vt potu aquæ Ducem ſuum recrearent, in confertum hoſtium agmen ruunt: quod facinus pro vita illius animo non deſignarent? quæ pericula pro ſalute patriæ non adirent? in quod diſcrimen, pro gloria dei vitam ſuam non conijcerent? Nunc igitur Homerus Poëtarum princeps, omnem vim ingenij ſui exerat: Virgilius Maro, Heliconis fontes adeat, omnia pigmenta orationis conquirant: ornet ille ſu-

um Vlyssem;hic Æneam:vterq; acies illorum maxima virtute armet:efferat in cælum inuictos animos: robur corporis amplificet: ornatissimis verbis illorũ res præclarè gestas, centum partibus maiores efficiat; nunquam tamen nec Græcorum, nec Latinorum viri fortissimi, tantum & tam eximium Hebræorum robur, virtutem, & excelsi animi magnitudinem consequentur. Sed neque illa in regno Salomonis sunt minora, quibus aliquis de media plebe Salomonem ab Alexandro superatum esse existimare posset. Totum enim terrarum orbem suo imperio subiecisse Alexander memoratur: indeque illi immensæ opes infinitiq; thesauri. Constat autẽ Salomonem, nec Scythis,nec Afris,nec aliis multis nationibus,quas Alexander armis oppresserat, bellum intulisse. Facilè hæc vir sapiens, & multò magis Christianus Philosophus reiiceret à magnificentia & felicitate regiæ dignitatis: & tametsi Salomonis regnum angustioribus terminis contineretur; illud tamen ob cæteras sapientissimi Regis virtutes, in quibus maximus regiæ maiestatis splendor elucet, latissimo Alexandri imperio anteponeret. Cùm enim opes & regnorum possessio regiæ virtutis sint instrumenta; non spatio terrarum, sed virtutis præstantia regiam dignitatem metiretur. Opes autem, & multitudinem prouinciarum bello

iniu-

iniusto partas iudicaret esse non incrementum regiæ dignitatis; sed incitamentum immanis cupiditatis. Verumenimuerò clementissimus Deus tot Reges & Principes Salomoni subiecit, tot regnis & nationibus illum præposuit, illiq́ue tantas opes, tantamq́ue auri & argenti copiam est largitus; vt non modo sapientum sententia, sed etiam vulgi opinione Salomon Rex & ditissimus & potentissimus haberetur,& esset. Nihil ego hîc dicam: ea tantùm quæ de Salomonis potentia & opibus, sacris literis sunt consignata, recensebo: tu ea suis momentis ponderabis. In libro Paralipomenon ita scriptum legimus: *Omnes Reges terrarum desiderabant videre faciem Salomonis, vt audirent sapientiam, quam dederat Deus in corde eius: & deferebant ei munera, & vasa argentea, & aurea, & vestes, & arma; & aromata, & equos, & mulos, per singulos annos.* en Salomonis dignitas. Vis videre ornatum Regium? *Habuit quadraginta millia equorum in stabulis, & curruum equitumq́; duodecim millia, constituitq́; eos in vrbibus quadrigarum, vbi erat Rex in Ierusalem.* en apparatus Regius. Vis potestatem? *Exercuit potestatem super cunctos Reges, à flumine Euphrathe vsq; ad terram Philistinorum.* en potestas. Vis opes & immensam auri copiam? *Erat autem pondus auri, quod offerebatur Salomoni per singulos annos, sexcenta sexaginta*

2. Par. 9.

ta sexaginta sex talenta auri: excepta ea summa, quam legati diuersarum gentium & negociatores afferre consueuerant, omnesq; Reges Arabiæ & Satrapæ terrarum, qui comportabant aurum & argentum Salomoni. Quis igitur dicet Salomonem ab Alexandro potentia & opibus superatum? Toti ferè terrarum orbi imperauit Alexander. Atqui & hic audimus omnes Reges terrarũ, in singulos annos maximis muneribus datis Salomoni totius orbis principatum detulisse. Non igitur opibus, non imperij amplitudine, non regnorum multitudine Alexander superauit Salomonem; at Salomon Alexandrum superauit, multumq; illi, ad veræ & solidæ laudis gloriam antecesſit. Alexander imperij amplitudinem & opes magnis sudoribus emit, innumerabiliumq; virorum vita & sanguine; at Salomon nullo funesto prælio, nullo damno militum, nulla exactione ciuium ad eas opes, & regni amplitudinem peruenit. Ille crudeli victoria & hostili terrore homines comprẽsſit; hic virtutis & sapientiæ splendore, vniuerso terrarũ orbi clementisſimi Principis iugum imposuit: ille gloria inani inflatus, solaque regnandi libidine incitatus, omnium gentium seruitutem concupiuit; iste nulla ambitione lapsus, solam Dei spectans gloriam, omnium Regum animos sibi deuinxit: ille hostili furore & crudelibus armis, multas ciuitates vastauit,

ſtauit, ſpoliauit; hic benignitate & clementia, multas vrbes inſtaurauit, multas erexit, multas locupletauit: ille vt theſauros acquireret, ſæpè iniuſto bello, & rapinis, iuſtitiæ & æquitatis opes amiſit; iſte cum maximis opibus, iuſtitiæ & æquitatis iura retinuit: ille temeritate, & ſine conſilio multa geſsit & turbauit; hic magno conſilio & prudentia, omnia confecit & conſtituit: ille non exteris tantùm gentibus, verùmetiam non paucis ex domeſticis inuiſus; hic & ſuis, & omnibus exteris nationibus gratiſsimus: ille fluxis & caducis rebus nimiùm deditus immortalibus bonis ſeſe priuauit; hic in maxima rerum copia, in ſumma gloria, maximas diuinæ gratiæ opes ſibi comparauit. Vicit igitur Salomon Rex, Alexandrum Macedonem, opibus: vicit robore & fortitudine militum: vicit celebritate nominis: vicit imperij amplitudine: vicit potentia: vicit regnandi felicitate. Verùm non his tantùm rebus Regni Salomonis præſtantia excellentiaque terminatur. Ad hæc enim omnia, ſapientiam diuinam, aut potiùs in vna diuina ſapientia, qua nihil à Deo immortali vberius, nihil præſtantius hominum vitæ datum eſt, plurima & maxima felicitatis, & dignitatis bona adiunxit. dicam & maius aliquid & verius, in vna ſapientia, non plurima, ſed omnia Regno Iſraëlitico contulit Rex ſapientiſsimus. Eſt enim

C ſapi-

ſapientia illud vultus Dei lumen : quo, vt teſtis eſt propheta Regius,eius maxima liberalitas & clementia humanas mentes ſignare ,illisque veluti expreſſam quandam ſuæ naturæ imaginem imprimere ſolet. Quo fit, vt cùm ex ipſius quaſi diuinitatis ſtirpe generetur , quemadmodum diuina natura , omnes omnium rerum perfectiones modo admirabili in ſe comprehendit ; ſic rerum omnium præſtantiam,ſuo ambitu complectatur atq; coërceat diuina ſapientia. Hac vna,res minimæ in maximas excreſcũt;ſine hac,maximæ dilabuntur.hæc regna conſtituit: prouincias diſtinguit : vrbes munit: domos extruit : iudicia exercet : acies inſtruit : principes ornat : milites armat : ciues ditat : hoſtes domat : vicinos regnis ſociat : & quod ſummum eſt, humanas mentes diſiectis ignorantiæ tenebris, cognitione Dei informat : diuino amore incendit : errores noxios extirpat : Chriſtianam religionem inſtituit : eccleſias illuſtrat, auget , tuetur , & amplificat ; & ita homines Deo ſimillimos reddit,vt vnus cum Deo ſpiritus efficiantur. O admirabilem diuinæ ſapientiæ vim & præſtantiam ! Quid enim ea re maius & excellentius eſſe,aut fingi,cogitariué poteſt : quæ homines ita Deo ſimiles reddit,vt vnus ſpiritus cum eo efficiantur ? Atq; hoc quidem incredibile alicui videri poſſet,niſi hoc ipſum ſpiritus Dei in diuinis literis,

ris, Ecclesiæ suæ disertis verbis tradidisset: *Erunt*, 1.Cor.6.
inquit, duo in carne vna. Qui autẽ adhæret Domino,
vnus spiritus est. Quid clariùs? quid ad homines cæ-
lestis sapientiæ studio inflammandos efficaciùs? Ni-
hil igitur mirum, si sapientia res omnes fiant eximię,
admirabiles, & diuinæ: contrà verò sapientiæ ope de
stitutę, exiles, fluxæ, caducę, inanes. Ac vt vno verbo
sapientiæ vim exprimam: quod est oculus in capite,
animus in corpore, Sol in hac rerum vniuersitate;
hoc est, in humanis actionibus sapientia. Tolle hũc
lucidissimum Solem, cuius lumine & motu, hęc om-
nia infrà Lunam posita consistunt; an aliquid præ-
clarum in hoc terrarum orbe apparebit? Tolle è
medio sapientiam; an non confestim splendor Rei-
pub. Regis maiestas, Senatus authoritas, illaq; om-
nia in quibus Reip. salus & dignitas cõcluditur, eo-
dem labefactata motu corruent? Rex Syriæ oppu-
gnans populum Israëlis, cùm Eliseum prophetam
Regi Israëli sua consilia prodere intellexisset, maxi-
mo exercitu misso, Dothain, vbi tum agebat Eliseus,
noctu obsedit, quo cognito puer Elisei, magno ti-
more perculsus, prophetæ nunciat. Ille verò facta
oratione, puero ostendit, montem plenum equo-
rũ & curruum igneorum diuinitùs in auxilium sibi
esse missum. quò cùm conscendunt hostes Eliseum
capturi, protinus excœcantur, & ab ipso propheta

in Samariam inducuntur. Vbi viſus iterum reſtituitur hoſtibus Eliſei; ſed non ſine magno metu & dolore. Tunc enim luce palàm vident, ſe omnes ab vno inermi Eliſeo captos & ſuperatos eſſe. Scilicet, Deus clementiſsimus, hoc tam inſigni ſpectaculo omnibus perſpectum & exploratum eſſe voluit; quibus præſidiis ſanctos viros communiat, & quantũ ad omnem impetum hoſtium propulſandum in vna inſit ſapientia: quippè quòd illa vim admirabilem, & diuinã, innumeris equis & curribus igneis ſimillimam, in ſe complectatur; atque ita ſine auxilio humano, dignitatem ſuam tueri poſsit: auxilia verò humana, ſine ſapientia nequaquam: quemadmodũ cœcus exercitus, qui amiſſo lumine, vires ſuas penitus eneruauit. Quomodo enim exercitus orbatus lumine, hoſtem feriet: qui quo ſe verrat, & vbi pedem ponat, omninò ignorat? Porrò, quod eſt lux iſta, quam oculis cernimus corpori; hoc eſt, ſapientia menti. Sapientiæ beneficio belli imperatores loca pugnæ opportuna deſignant: tentoria figunt: acies inſtruunt: militem in hoſtem concitant: & denique & initium, & progreſſum, & exitum belli ſapientiæ artibus freti conficiunt. Quòd ſi inter ſtrepitum armorum tantum valet ſapientia; quantum in pace, quantũ in Senatu eam valere exiſtimabimus? An ille, qui neſcit, in quo æqui & iniqui ratio conſi-

ſtit,

ſtit, rectè iudicabit? vel ille, qui veræ felicitatis fontes ignorat, de ſumma rerum percommodè concludet? Diſſentanea hæc ſunt, penituſq́; contraria: ex æquitate iudicare, & quid ſit, & in quo ſit æquitas ignorare: à ſummo bono in ferenda ſententia nõ deflectere; & tamen nec ſummi boni rationẽ, nec viam, quæ ad illius poſſeſsionẽ ducat, animo comprehendere. Itaque qui inſipientem, vel rectè iudicare, vel aliquid decernere fructuosè poſſe exiſtimat; perinde eſt, ac ſi quis dicat ſagittarium egregiè ſcopum attigiſſe, & tamen ſcopum vbi eſſet nõn vidiſſe. Rectè igitur diuinus Plato eas demùm Reſpub. felices eſſe iudicauit; quas aut philoſophi regerent, aut quarum Reges philoſopharentur. Verùm an non ipſe Chriſtus dominus, cuius ſententiam in dubium vocare flagitium eſt æterno ſupplicio expiandum, omnem Eccleſiæ ſuæ, prò qua diræ mortis acerbiſsimos cruciatus perpeſſus eſt, gubernationem, ita in ſapientiam contulit; vt fatuos & inſipientes Eccleſiæ præſides cœcis ducibus, quos imperitia, vnà cũ iis, quibus ſe ductores præbent, in foſſam mortis ſempiternæ præcipitat, cõparauerit? contrà verò ſapientem Eccleſiæ magiſtratum, lucernam ardentẽ, petram, fundamentum, ſal terræ, lucem denique mundi appellauerit? quòd illius ſapientia, id ſit orbi Chriſtiano, quod petra & fundamentum ædificio:

ſal cibis condiendis, & ſanandæ putredini: lux ſolis ſplendidiſsima toti vniuerſitati. Neque verò, quòd hæc tanta ſapientiæ vis ſenſu & oculis non cernatur, minor ideò exiſtimanda eſt. Neque enim hominis animus oculis cernitur, nec virtus ſenſu percipitur, nec Solis operatio viſu vſurpatur; & tamen & corporis vitam anima conſiſtere, & virtutis officio felicitatem contineri, & Solem licet altiſsimè ſit poſitus, non ea ſolùm quæ ſupra terram natura locauit, ſed etiam illa, quæ vel in cauernis montium abdidit, vel in altiſsimo mari demerſit, vel in viſceribus terræ concluſit efficere omnes confitentur: nulluſq; in eo viſum, vbi ratio ipſa loquitur, iudicē adhibendum eſſe putat. Belluæ non homines cenſendi ſunt, qui illud tantùm, quod ſenſu attingunt, in rerum natura cohærere exiſtimant. Sed horum non Chriſtianis tantùm, ſed & philoſophorum decretis, ex hominum cœtu iampridem exploſa eſt ſententia. Quis autem vidit, aut videre potuit, cùm præpotens Deus hanc maximam & admirabilem totius vniuerſitatis machinam ex nihilo produceret, ordineque admirabili illuſtratam, tot tantiſque gloriæ ſuæ opibus ornaret? & tamen Salomon ſapientiſs. cuncta hæc diuina ſapientia effecta eſſe aſſeuerat. Sapientia enim, atteſtante Salomone, vel potiùs ipſo ſpiritu Dei teſte, Excidit ſibi columnas ſeptem, illamque

domum

domum,in qua ipſe Deus cum illis beatis mentibus, ab omni concretione materiæ liberis, æuo perfruitur ſempiterno, exædificauit: ſapientia, orbes cæleſtes, Luna,ſtellis,Sole,aliiſq; ſideribus illuſtrauit: ſapientia,totius vniuerſitatis fundamenta iecit: ſapientia, terram libratam ponderibus ab aquis diuiſit, & vtraque in medio cæli mirabiliter appendit, cauernis maria ſuſtentauit, ſuſtentatque; vniuerſa denique creauit, auxit, & illuſtrauit ſapientia. Quid igitur Salomonis conſilio melius? quid prudentius? quid ſalutarius? qui in regiam dignitatem euectus, vt munus hoc ampliſsimum & difficillimũ rectè & laudabiliter obiret, videretque ſine ſapientia nihil præclarum effici poſſe,nõ aurum aut gemmas pretioſas, nec ampliſsima terræ & maris ſpatia;ſed vnam ſapientiam à præpotenti Deo maximis precibus expetiuit & obtinuit. Quo ſingulari Dei munere cumulatus, velut Sol altiſsimus ſuo lumine tenebras depellens, noxioſque humores exſiccans, vniuerſam terram illuſtrat; & hac vna re vario & multiplici beneficio eam afficit: Nam hoc eodem ſuo lumine, plantis vitam, & animantibus ſenſum tribuit: gemmis ſplendorem donat,lapidibus virtutem largitur: herbas odore imbuit: flores pulchritudine veſtit: ſyluas frondibus tegit:campos amœnitate ornat: agros fertilitate & vbertate ditat, &

nobi-

nobilitat; ſic Salomon Rex, è ſuo regali ſolio, ea omnia bona, à quibus Reip. ſalus & dignitas dependet, Iſraëlitico regno vna contulit ſapientia. Quid enim Salomonis regnum primùm oppreſsis hoſtibus, & ſceleratis ciuibus perpurgauit & communiuit, deinde imperium eius orbis terrarum terminis definiuit? Sapientia. Quid fama & celebritate nominis, omnium gentium & populorum, Reges & Principes, in admirationem Salomonis conuertit, & Reginam Sabam, longinquas regiones peragrare coëgit? Sapientia. Quid Salomoni à totius orbis Regibus & Principibus, vectigalia conciliauit, tot prouincias Iudææ adiunxit, tot vrbes pulcherrimas extruxit, tribunalia admirandis iuſtitiæ & æquitatis laudibus exornauit? Sapientia. Quid Salomonis imperium, inter omnia regna & imperia, quæ aliquando Sol aſpexit, diuitiis, opibus, gloria, magnificentia tantum extulit; quantum ſe efferre lenta ſolent inter viburna cupreſsi? Sapientia. Quid Salomoni eam mentem iniecit; vt ſuum imperium à diuinę legis ardenti ſtudio, & à Dei gloria auſpicaretur, & in eius amplificatione, regni Iſraëlitici ſummam felicitatem, omniaque bona ſtatueret? Sapientia. Quid illi cæleſtium rerum, & obſcuriſsimarum tantam intelligentiam enodauit, illiuſque animum à rebus fluxis & caducis abſtractum, abreptum-

ptumque flammis diuini amoris adeò incendit, vt præter Deum illiusque sanctissimi nominis cultum & gloriam, omnia vanitatem vanitatum esse proclamarit? Sapientia. Quid illud templum Salomonis admirabile magnificentissimè extruxit, immensaq; auri & argenti copia ditauit? Sapientia. Quid Salomoni persuasit, vt immensis victimis altaria oneraret, & Dei laudem illiusque sanctissimum cultum, cum dignitate & emolumentis sacerdotum ita coniungeret; vt iis, quæ in sacerdotum vitam bene honestéque sustentandam cederent, Dei ipsius gloriã, & sanctissimũ illius cultum, contineri existimaret? Sapientia. Quid ad extremùm, non aliter, atq; Elias propheta, ignem in altaria aquis perfusa, sic gratiam cælestem, præsidia firmissima, omnemque & diuinam & humanam felicitatem, in regnum Israëlis è cælo deuocauit? Sapientia. Quis Oceanus tot fulgentes gemmas, lapidesque pretiosos, suo profundissimo, longissimoque sinu complectitur; quot res tantæ & tam diuinæ cum maximo commodo & dignitate regni Israëlitici in vna Salomonis sapientia elucent? Sed vt aliquem finem, & modum diuinæ sapientiæ, quæ nullum finem modumque habere videtur, faciamus, concludam illud de Rege Salomone, illiusq; regno felicissimo: Deum Opt: Max: vt in sanctissimis illis Patriarchis, Abrahamo fidei,

Isaäco obedientiæ, Iosepho castimoniæ, Moyse charitatis, Iobo patientiæ, Tobia mansuetudinis, Daniele abstinentiæ, Dauide pœnitentiæ, Samsone fortitudinis, Iosia pietatis, Elia vitæ austeræ; sic in Salomone Regis præstantissimi, perfectum absolutumq; exemplar nobis exprimere voluisse. Et quemadmodum idem clementissimus Deus, Dauidi Regi templi à Salomone ædificandi effigiem ostendit; sic in regno Salomonis ideam absolutissimi perfectissimique regni posuit, & quibus principiis, tam diuinū & admirabile opus excitari, & quo pacto ad fastigium perduci debeat, omnibus Regibus & Principibus, quibus cura constituendæ Reipub. incumbit, demonstrauit. Quare euenit, vt ipsemet Dei spiritus æqualis Patri & Filio Deus, in libro quem Salomon inscripsit, Cantica Canticorum, ex omnibus Regibus, qui aliquando regia dignitate excelluerunt, vnum Salomonem delegerit, ad quem in suo regali solio spectandum, cùm alios omnes, tum præcipuè Reges & Principes Christianos, his verbis inuitaret:

Can. 5. EGREDIMINI ET VIDETE FILIÆ SION REGEM SALOMONEM, IN DIADEMATE, QVO CORONAVIT ILLVM MATER SVA, IN DIE DESPONSATIONIS ILLIVS, ET IN DIE LÆTITIÆ CORDIS EIVS.

Egredere igitur & tu, SIGISMVNDE REX optime, & illis sanctiss. Regibus, Iosaphat, Ezechiæ, & Iosiæ, in quorum etiam sunt numero cùm alij Christianissimi Imperatores, Constantinus Magnus, Heraclius, & Theodosius, tùm vt nunc alios omittam, iste non ita pridem vita defunctus Stephanus Rex noster, immortali gloria dignus te socium adiungens, vide Salomonem Regem in diademate, quod ex pretiosissimis Dei gratiæ gemmis margaritisque contextum, mater sua capiti illius imposuit: mater illa, inquam, sua, diuina sapientia, cum qua vna Salomoni omnia bona diuinitùs sunt concessa: *Venerunt*, inquit, *mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius.*. Egredere igitur, egredere, REX optime, vnà cum illis optimis Regibus ad spectandum Salomonem. Egredere autem non mea, aut alicuius hominis, neque quod maius est angeli, sed ipsius Dei Opt. Max. cohortatione concitatus, & vide Regem Salomonem, tam præstanti diademate coronatum. Sap 7.

Equidem, tametsi ea, quę paulò antè ex libris Regũ & Paralipomenon, de regni Salomonis præstantia, à me explicata sunt, intelligentiã nostram fugerent; tamen ex eo, quod ad Salomonem spectandum mirandumq; ab ipsomet Deo, filiæ Sion, hoc est, homines gratia Dei afflueñtes inuitentur, eximiũ quen-

dam splendorem & magnificentiam in regno Salomonis inesse existimare deberemus. Neq; enim Dei infinita sapientia, quæ totâ vim bene viuendi in omnium rerũ humanarum contemptione & despicientia ponit, res viles & abiectas admiratione dignas duceret. Diuus Chrysostomus populo Antiocheno curę & solicitudinis humanæ vanitatem describens, illas beatas mentes omnesq; cæli ciues, qui Dei maiestatem contemplantes, felicissimo & sempiterno æuo perfruuntur, ita eorum hominũ curas, qui parũ cælestia spectantes, huius mundi rebus, eiusq; vanissimæ gloriæ immersi, domibus exædificandis, bellis gerendis, opibus congerendis, aliisque id genus rebus, gloriam humanam captant, ventosque populares colligunt, æstimare & ridere asseuerat: quemadmodum nos pueros in arena considentes, domosque ex luto ædificantes, & destruentes, ridere solemus. Ergo solium Salomonis illiusque præstans diadema, quod Deus ipse Opt. Max. admiratione dignum iudicat, & ipse quasi admiratur, omni humana gloria & magnificentia tantum præstat; quantũ cælestium rerũ diuitiæ, quarum admiratione beatæ illæ mentes, quos angelos nominamus, capiuntur, his fluxis & caducis rebus, in quibus humana stultitia suæ felicitatis finem defixit, ad omnem dignitatem & præstantiam antecellunt. Neq; verò in sacris libris

Hom. ad pop: Antioch.

libris obſcurè ſignificatur iſta Salomonis regni præſtantia & maieſtas. Nam ab illa Dei immenſa ſapientia, non ſolùm Salomon coronatus eſſe dicitur; ſed etiã coronatus eſſe, IN DIE DESPONSATIONIS ILLIVS, ET IN DIE LAETITIAE CORDIS EIVS. Quibus verbis admirabilis, quidam ſplendor regni Salomonis oſtenditur. In conuiuiis enim & ſponſalibus, Reges & Principes, maximas opes expromere, ſuoſq; omnes ſuos theſauros excutere ſolent; vt illuſtribus & magnis viris, rerũ magnificentia & copia, ſuam præſtantiam commendarent. Præclaram eius rei imaginẽ in Aſſuero Rege præſtantiſsimo, nobis diuinæ literæ propoſuerunt, qui in illo prægrandi ſplendidoque conuiuio, quo totius orbis Principes exceperat, & Reginam Heſter matrimonio ſibi copulârat, ſuam ſapientiam, opes, potentiam, ſplendorem, & maieſtatem demonſtrare eſt conatus. Maxima erat in illo conuiuio lætitia: ſumma rerum omnium copia: exquiſiti & varij cibi: vina optima: concentus ibi ſuauiſsimi perſonabant: ludi varij exercebantur: vndique autem aurum, gemmæ, lapideſque pretioſi, aulæa & ſtragula magnificis operibus picta: imagines eleganter fictæ, & ſimulachra affabrè, & antiquo artificio facta, in oculos admirantium incurrebant. Hæc tametſi ſapientes, & qui cæleſtia ſpectant parum moueant, multò minus be-

atas illas mentes; illis tamen veluti quibuſdam ve-ſtigiis mortales, rerum cæleſtium notitiam conſequuntur. Itaque diuina ſapientia, vt ſe in tradenda doctrina hominum capacitati accommodaret, non in quauis die, ſed in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius, Salomonem coronatum eſſe voluit; vt ex iis, quæ ſub aſpectum cadunt rebus coniecturam faceremus, quantis opibus æternæ felicitatis regnum Salomonis nobilitatum & illuſtratum, quantaque voluptate gratiæ Dei delinitum fuiſſet. Quòd ſi in Aſſueri Regis conuiuio, ſplendor & maieſtas hominibus admirationem commouit; conſequens profectò eſt; illa quæ Deus præpotens Salomoni dedit ſponſalia, ipſis beatis mentibus incredibilem quandam admirationem attuliſſe. An non ſingularis illa Dei clementia, quam Deus benigniſ-
Gen. 18. ſimus, Iacobo Patriarchæ dormienti apparens, cùm illoque innixus ſcalæ, quæ in cælum vſque protenſa, Angelos deſcendentes & aſcendentes ferebat, amantiſsimè alloquens, oſtenderat, omnes cæleſtis regionis ciues, rem tam mirabilem & inuſitatam ſpectantes, obſtupefecit? Atqui & Salomoni, cùm maximè incenderetur ad Dei gloriam, cúmque innumeras illas hoſtias Deo litaſſet, bis Deus apparuit, primò in Gabaon, ſecundò Ieroſolymæ; cùm templi ædificio magnificentiſsimè inchoato faſtigi-
um im-

ùm impoſuiſſet. ac ne quid ad ſummam gratiam Salomoni deeſſet, non ſolùm illi apparuit, ſed etiam cum illo eſt colloquutus. at quàm familiariter? at quàm amanter? *Poſtula*, inquit, *quod vis, vt dem tibi.* An non his paucis verbis, omnia illa auxilia & beneficia comprehendit: quibus vel Moyſen in Ægypto, ab obſtinato Pharaone; vel Eliam in monte à Regis Samariæ tribus quinquagenariis Principibus; vel Eliſeum in Dothain, à Regis Syriæ maximo exercitu admirabiliter defenderat? Enimuerò hanc ipſam gratiàm, paucis concluſam verbis, idem liberaliſsimus clementiſsimuſq; Deus, ſignis & prodigiis explicauit. Primò enim, cùm Salomon ſacrificia ſua, preceſq; perfeciſſet, ignis delapſus è cælo, incendio & ardore abſumpſit holocauſta, & victimas. Deinde: *Maieſtas Dni impleuit domum: nec poterant ſacerdotes ingredi templum Domini: eò quòd impleſſet maieſtas Domini templum Domini. Sed & omnes filij Iſraël videbant deſcendentem ignem, & gloriam Domini ſuper domum, & corruentes in terram proni, ſuper pauimentum ſtratum lapide, adorauerunt & laudauerunt Dominum; quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius.* Ad extremum, his verbis, præpotens Deus, ſuum incredibilem amorem Salomoni, eiſque omnibus, qui in templo à Salomone exædificato, eum ſummè colerent, teſtatus eſt: *Apparuit* 2. Par. 7.

paruit autem ei Dominus noctu, & ait: Audiui orationem tuam, & elegi locum istum mihi in domum sacrificij. Si clausero cælum, & pluuia non fluxerit: & mandauero & præcepero locustæ, vt deuoret terram: & misero pestilentiam in populum meum; conuersus autem populus meus, super quos inuocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, & exquisierit faciem meam, & egerit pœnitentiam à viis suis pessimis: & ego exaudiam de cælo, & propitius ero peccatis eorum, & sanabo terram eorum. Magna hæc: Sed quæ sequuntur sunt maiora: *Oculi quoque mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem eius, qui in loco isto orauerit.*
3.Reg.6. *Elegi enim & sanctificaui locum istum, vt sit*
2.Par.7. *nomen meum ibi in sempiternum: & permaneant oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus.* Magnam profectò hæc vim habent ad explicandam diuinæ clementiæ magnitudinem. Cùm enim Deus sit vbiq; & ita sit simplicissimus, vt quarumlibet partiũ, quæ compositionem efficiant, sit omninò expers; alioqui nec esset simplicissimus, nec primi principij nomen obtineret; cùm primi principij, non sit principium: Deus autem, si ex partibus, tanquam aliquod totum constaret, principium sui haberet, cùm partes sint totius principia; profectò in Deo, hoc ipsum quod est cor, est & oculus, & pes, & manus, & si quid aliud est, quod ad exprimendam vim & maiestatem diui-

diuinam, ſancti prophetæ cæleſti numine afflati, ex rebus ſenſibilibus & corporeis in Dei naturam tranſtulerunt. Secus eſt in homine & in animante, cuius diuerſis operationibus, diuerſas corporis partes natura deſtinauit, fecitque vnam corporis partem alia præſtantiorem. Cor enim & oculus, multò præſtantiores operationes edunt, quàm reliquę omnes corporis partes; quorum illud fontem vitæ continet, ille verò, vt Sol ſidera, ſic totum corpus lumine ſuo coilluſtrat. Et quoniam diuina illa eſſentia, licet ſit vna & ſimplicißima, ita vt quemadmodum ſummi Theologi, doctißimè decreuerunt, non ſolùm rei, ſed nec formalem nec rationis compoſitionem admittat, diuerſa tamen opera efficit, & alia aliis præſtantiora: hinc factum eſt, vt ſicut ipſa ſine magna ſuæ præſtantiæ & dignitatis iactura, in partes cuiuſcunque generis diſtrahi non poteſt; ita diuerſa illius & admiranda opera, diuerſis corporis partibus, & præſtantiora præſtantioribus, & præſtantißima præſtantißimis, quales ſunt cor & oculi in corpore humano, aptißimè deſignentur. Locus etiam cùm in toto vniuerſo cælum ſit nobilißimus, terra infimus, & operationibus dignitate & ordine ſupremis, locus nobilißimus; iis autem, quas infrà omnes natura amandauit, locus infimus debeatur; hinc quoque fit, vt præpotens Deus, oculis & corde

in cælo habitare, terram autem ſuis pedibus, veluti quoddam ſcabellum ſubieciſſe dicatur: *Hæc dicit Dominus*, apud Iſaiam prophetam, *Cælum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum.* Quid? quòd & D. Iacobus Apoſtolus: Omne datum optimum, & omne donum perfectum, è ſurſum eſſe, à patreq; luminum deſcendere; & ipſemet Chriſtus Dominus, Angelos, qui ſingulari Dei benignitate & clementia ad cuſtodiã paruulorum in terra aduigilant; non in terra tamen, ſed in cælo patris faciem, quæ ſedes oculorum eſt, videre aſſeuerat? Cùm igitur clementiſsimus Deus, cor ſuum & oculos ſuos, in templo Salomonis conſtituat; an non eam admirabilem operationem, gratiæ ſuæ, qua angelos & ſanctos lumine vultus ſui de claritate in claritatem tranſformat, è cæli regionibus, in templum Salomonis transferre videtur? O admirandam Dei clementiam: ô terque quaterque beatam Salomonis felicitatem! qua non ſolùm cum Salomone Deus in ſublimi manens cælo, innixus ſcalæ, vt quondam cum Iacobo Patriarcha loquitur; verùm ipſemet ad templum Salomonis deſcendere, & quaſi è cæleſti palatio commigrare videtur. Quomodo autem ea, quorum amplitudo verbis efferri non poteſt, clariùs exprimi potuerunt? Ignis conſumens Deus in ſacris libris appellatur. en igitur, vt omninò Deus deſcen-

ſcendiſſe videatur, ignis è cælo videntibus omnibus in hoſtias Salomonis deſcendit. In nube Dominus habitare dicitur. ſic enim docet ſapientiſs. Salomõ: *Dominus dixit, vt habitaret in nebula.* & Iob: *Num* 3. Reg. 8
eleuabis in nebula vocem? en igitur nebula impleuit domum Domini, & non poterant ſacerdotes ſtare & miniſtrare propter nebulam. Et ne de hac ſua immenſa clementia aliquem ambigendi locũ relinqueret; quid hac nebula ſignificaret Deus, è veſtigio additur: *Impleuerat enim gloria Domini, domum Domini.* Atqui, Deus, qui vbiq; eſt, ſuaq; eſſentia, vtpotè indiuiſibili, tota vbiq; nec partibus extenſa omnia complet, nulliſq; finibus concluditur, in terris per gratiam, in cælis per gloriam habitare dicitur, & habitat. Ex quo efficitur, eam cognitionis diuinæ gratiam, tum temporis & Salomoni, quem vnum ex multis, in ſuum cubiculũ Dei ſapientia introduxerat, datã, & in templo illo, maximis Dei clementię monumentis conſecrato, vt dicitur, trabali clauo fixam fuiſſe; quam vel Moyſen Deum oculis & mente cernentẽ, vel Dauidem numine Dei ante alios prophetas afflatum, vel Paulum Apoſtolum, in tertium cælum raptum: vel Ioannem Euangeliſtam Chriſti Domini delicias, ab hominibus in Pathmos Inſulam relegatum habuiſſe conſtat. ad quam quidem Dei cognitionis claritatẽ, licet illis Aaronicis ſacerdotibus

 pro-

propter nebulam veteris legis aſpirare non licuit; tamen Chriſtus, cuius infinitæ ſapientiæ Salomon typum geſsit, reiecto ſciſſoque huius nebulæ velo, iis nouæ legis Sacerdotibus, qui ad montem, qui Chriſtus eſt, maximis virtutibus niterentur, hæc tam admiranda ſancta ſanctorum patefecit. Inde illæ ſanctiſsimorum hominum viſiones: inde mentis exceſſus: inde raptus: inde extaſes: inde & illi ignes, qui, vt D. Ambroſius notauit, in patrum hoſtias deſcendebant. Quamùis autem paucíſsimis admodũ, ad tertiũ cælum, quo Paulus admirabili gratia ſublatus erat, attingere ſit conceſſum; tamen ad tertium cælum aſpirantibus, in ſecundo vel in primo conſiſtere, ſumma felicitas ducenda eſt. Hæ igitur ſunt illæ nubes, quibus Deus maximam gratiam Salomoni oſtendens, impleuit templum: hic eſt ille ignis, quem Deus è ſublimi cælo in hoſtias Salomonis demiſit: hi denique ſunt illi oculi Dei, quos idem clementiſsimus Deus, in templo illo ampliſsimo à Salomone magnificè exædificato collocauit. Atque & illis verbis: *Et permaneant*, non ſolùm oculi mei, ſed *& cor meum ibi cunctis diebus* immenſum quendam amorem, Salomoni declarauit Deus. Magnum eſt, ſi præpotens Deus, non vulgare aliquod ſui in Salomonem amoris indicium dediſſet: maius eſt, ſi non vulgare tantùm, ſed & inſigne de-

diſſet:

diſſet: longè verò maximum eſt propeq́ue infinitũ; cùm non indicia amoris ſui, non aliqua præclara & luculenta teſtimonia & argumenta, non deniq; ſuum amorem; ſed ipſummet cor ſuũ (ò rem admirabilem) Salomoni temploq́ue illius offert clementiſſimus liberaliſsimuſq́ue Deus. Quid enim? an non hac tanta liberalitate & munificentia, ipſum omniũ gratiarum, & totius liberalitatis fontem in templo Salomonis aperuit? illum, inquam, fontem, ex quo Cherubimi, charitate flagrãt: Seraphimi, ſapientia lucent: Throni, maieſtate excellunt: Principatus, dignitate præſtant: Virtutes, admirandis ſignis & prodigiis pollent: ex quo denique, in Poteſtates, Dominationes, Archangelos, Angelos, omneſq́ue cæli ciues, ſingularis vis & poteſtas ſummaq́ue præſtantia excellentiaq́ue, veluti quibuſdam immenſæ ac inexplicabilis gratiæ Dei riuis deducitur. Quid enim in animante maius poteſt eſſe corde? non pes, non manus, non brachium, non auris, deniq; nec oculus. Itaq́ue cùm nomine cordis, nec ipſa eſſentia Dei intelligi poteſt; hæc enim eſt vbique: nec eius operatio; hæc enim propter naturæ diuinæ ſummam ſimplicitatem re & ratione eadem eſt cum eſſentia Dei; conſequens eſt, vt nomine cordis ij effectus gratiæ Dei ſignificentur, quos in cælo clementiſs. Deus, vbi corde & oculis habitare dicitur, ad im-

ad immenſam infinitamque cæleſtium ciuium feli-
citatem efficere ſolet. Quid igitur mirum, ſi illæ be-
atæ mentes, quæ pompam & gloriam humanam, & id genus alia, in quibus curæ & cogitationes hominum conſumuntur, deſpicatui ducunt, vehementer miratæ ſunt, cùm viderent maximis donis cæleſtibus ornatum, & in tam arctam amicitiam à Deo receptum, vt è cælis ſuum domicilium, & quod longè maius & admirabilius eſt, oculos & cor ſuum in templum Salomonis trânsferret, ibique collocaret? Egredere igitur, REX sereniſsime, & non ſolùm cũ illis ſanctiſs. Imperatoribus & Regibus, verùm etiã cum cæleſtis Hierarchiæ, Principibus, Cherubimis, & Seraphimis, vide Salomonẽ in diademate ſuo, in quo coronauit illum mater ſua in die deſponſationis illius. Sed de regni Salomonis præſtantia ſit ſatis.

Nunc quibus gradibus ad eam felicitatem aſcenderit Salomon, diligentiùs inquiramus. Ex nullo autem, id meliùs cognoſcemus, quàm ex hac eadẽ, quæ Salomonem coronauit, diuina ſapientia: quæ non ideò nos tantùm ad ſpectandum Salomonem euocat, vt eius regium diadema admiremur; ſed etiam diem nobis & tempus deſignat; in qua eundem ſapientiſsimum Salomonem, regali corona redimitum Iſraëlis vniuerſi, omniumque gentium & nationum Regem dominumque creauit: IN DIE, inquit

inquit, DESPONSATIONIS ILLIVS, ET IN DIE LAETITIAE CORDIS EIVS. Ac ſi apertiùs, hæc eadem diuina ſapientia, cùm nobis omnibus, quos ſancta Sion Eccleſia ſuo ſinu fouet & complectitur; tùm tibi, SIGISMVNDE REX, inter filias Sion præclariſsime, ad quem hæc mea præcipuè ſpectat oratio, diceret, teque his verbis appellaret: Egredere ô SIGISMVNDE REX dilectiſsime, & non ſolùm admirare ſplendorem regni Salomonis; ſed etiam diem nota in qua Salomonem mater ſua Regem denunciauit: & tempus ſigna, in quo capiti eius tam præſtans impoſuit diadema. Non enim illum coronauit in illa die, qua ille idem Rex, maximorum Dei beneficiorum oblitus, ac turpi fœdoque amore mulierum excœcatus connubio huius pulcherrimę, & matris, & ſponſæ ſuæ nuncium remiſiſſet; ſed in die deſponſationis illius, qua videlicet admirabili fide & pietate illi eidem & matri & ſponſę ſuæ diuinæ ſapientiæ, ſponſalia dederat, eamque ſibi ſanctiſsimo matrimonij fœdere copulârat. Deinde, IN DIE LAETITIAE CORDIS EIVS: illa, inquam, die, Salomonem regio honore affecit: cùm lætitia cordi illius conuenientiſsima & propria perfunderetur: & gaudio, quo diuinus amor, in quo ſolo veluti naturæ ſuæ proprio & conuenienti loco, mens humana conquieſcit, pectus illius incenderat, exultaret incre-

credibili: cùm in summi Regis cubiculum introductus, tantum sanctissimo cælestis sapientiæ exarserat amore; vt alias virtutes, prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam, castitatem, humilitatem, diuinæ sapientiæ filias & comites his verbis compellauerit: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore eius langueo.*

Atque vt has suauissimas Dei voces melius perspicias, totum Salomonis consilium breuiter & clarissimè tibi proponam. Tria sunt, SIGISMVNDE REX serenissime, quibus veluti quibusdã gradibus in tam sublimem sapientiæ & felicitatis arcem Salomon ascendit. Timor Dei, amor, & diuini cultus ardens studium. illud secundum ex primo, ex his autem duobus, tertium ortum habet. Nunquam enim Salomon, nec adeò magnificum templum extruxisset, nec extructum immensa auri, argenti, gemmarumq́; copia locupletâsset, nec tam opimis victimis altaria onerâsset, nec sacerdotibus tantum honorẽ habuisset; nisi timore Dei à peccato deterritus, & ad Deum Opt: Max: tot tantisq́ue beneficiis prouocatus redamãdum facibus diuini amoris inflammatus & incensus fuisset. Sed vt tantarum virtutum splendor & dignitas, clariùs nobis appareat, de illis singillatim pauca dicã. Ac primùm de timore Dei: quem & Isaias ob claritatem & præstantiam pro-

am prophetię, potiùs Iesu Christi Euangelista, quàm propheta à viris doctis appellatus, thesaurum Sionis, quam magnificauit Dominus, & Dauid Rex, & prophetarum princeps, & Salomon omnium mortalium sapientissimus, initium sapientiæ esse dixerunt: *Et erit fides in temporibus suis, diuitiæ salutis* Isa. 33.
sapientia & scientia, timor Domini ipse est thesaurus eius. Tres autem præstantissimi testes, diuino spiritu afflati, in vnum encomium timoris Domini cõspirêrunt, vt, cùm in trino numero perfectio summa absoluatur, timor Domini maximam apud omnes habeat commendationem. Quòd si sapientes architecti magnificentiori ædificio extruendo, altiùs & profundiùs fundamentum subiiciunt, & cum timor Domini sapientiæ diuinæ, quæ felicis & beatæ vitæ fontem continet, sit fundamentum; intelligimus facilè, in pectore Salomonis, quod diuina bonitas immensa propè sapientia compleuerat, timorẽ Domini altissimè & profundissimè suas radices defixisse. Atque hoc quidem in actionibus Salomonis, & in ea gratia, quam Salomoni contulit Deus, non obscurè sacræ significant literæ: Recitabo ipsa sacrarum literarum verba: *Et nunc Domine Deus, tu* 3. Reg. 3
regnare fecisti seruum tuum pro Dauid patre meo, ego autem sum puer paruulus, & ignorans egressum & introitum meum, & seruus tuus in medio est populi, quem

elegisti, populi infiniti, qui numerari & supputari non potest præ multitudine. Dabis ergo seruo tuo cor docile; vt populum tuum iudicare possit, & discernere inter bonum & malum. Quis enim poterit iudicare populum istum: populum tuum hunc multum? Placuit ergo sermo coram Domino, quod Salomon postularet huiuscemodi rem. Et dixit Dominus Salomoni: Quia postulasti verbum hoc, & non petisti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum; sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium, ecce feci tibi secundùm sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens, & intelligens in tantũ; vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. In quibus diuinarũ literarum verbis, duo videmus: alterum est timor Salomonis, & animi summißio & humilitas, quæ ex timore Dei, tanquam sapientiæ principio exoritur: Nosse enim seipsum, etiam ipsi philosophi non paruam sapientiæ partem esse iudicârunt: alterum est propter timorem Domini, & animi summißionem, omnes illas, & animi, & gratiæ, & fortunæ opes Salomoni diuinitùs concessas esse. Satis autem apertis verbis ostenditur, ob timorem Domini, & animi summißionem eam felicitatem Salomoni obtigisse, vt omnibus liquidò cõstaret, timorem & humilitatẽ Christianam, summam Dei gratiam hominibus cõciliare: *Quia*, inquit ipse clementiss. Deus, *postulasti ver-*

verbum hoc, et non petisti dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorũ; sed postulasti tibi sapientiã ad discernendum iudicium, ecce feci tibi secundùm sermones tuos. Atq; vt id quod in se planum est, omnibus perspectum fiat, rem ipsam paulò diligentiùs perpendamus. Sunt enim quidam homines, qui, vt timorem Domini in pectoribus Christianis extinguerent, vt ita scelerum omnium sylua succrescente sapientiæ segetes interirent, in nulla re magis elaborant, quàm vt mentibus humanis eam opinionem insererent; omnia salutis & diuinæ sapientiæ bona in sola fide reposita esse: timorem autem Domini, ad quasdam consequentias reiiciunt. neque enim audent apertè, quod insanus Lutherus fecit, veritati contraire; sed callidè timori Domini neruos incidunt. Sic enim existimant euenturum, vt timore Domini vel extincto penitus, vel pessimis rationibus instituto, omnem sapientiæ Dei fructũ inuecta calamitate peruerterent. Contra quos ego hoc loco disputationem nõ instituã, sed tantùm illorum errorẽ breuiter coarguam, ne illorũ falsa & perniciosa doctrina, timoris Domini splendor obscuretur; & homines hoc primo gradu ad sapientiam deiecti, & tetris tenebris ignorantiæ inclusi, à vera felicitate, quæ in sapientia & rerum cælestium cognitione sita est, perpetuò exularent. Ac ne rem facilem expli-

cando,eandem(vt dicitur) ſæpius oberremus chordam: quid ſit cauſa rei,quid item conſequens videamus. Cauſa id eſſe definitur ab omnibus, propter quam aliquid fit: quæ, cùm duplex ſit extrinſeca,vt efficiens & finis; & intrinſeca, vt materia & forma, ad intrinſecæ cauſæ rationem illud addendum eſt, qua ſublata rem illam,cuius eſt cauſa interire neceſſe eſt. Conſequens autē eſt, ab extrinſeco adueniens accidens, & quod adeſſe & abeſſe poteſt,citrà,eius rei cuius eſt conſequens corruptionē: quemadmodū candor in cygno, & nigror in coruo. hæc enim non tanta neceſsitate cum eſſentia & natura vincta aſtrictaq; tenentur,vt ſine iis natura eſſe non poſsit. His ita cōſtitutis,quę omnibus,qui vel primis labris ſapientię rudimenta delibârunt,ſunt notiſsima,quid horū ſit timor Dñi & humilitas,nēpè an ſine iis gratia Dei, in qua ſumma felicitas conſiſtit, eſſe poſsit, nec nē,ex diuinis literis apparebit.Si enim non propter timorem Dei, & animi ſummiſsionē, illa admirabilis ſapientia, cum qua omnia bona Salomoni venerunt, conceſſa eſt, cauſa cecidimus: vicerunt aduerſarij. Sin autem propter timorem Dei, & animi ſummiſsionē, illam Dei gratiam & Salomoni & aliis exhibitam à Deo eſſe, diuina oracula docebunt: an non proterui & amentes illi habendi erunt, qui, cùm & cauſam id eſſe dicant,propter quam aliquid

eſt,&

eſt, & ſine qua rei natura conſeruari non poteſt, & ex Dei oraculis ſciant, propter timorem Dei, gratiã hominibus donari, nec eandem ſine timore Dei cõſeruari poſſe; nihilominùs timorem Dei cauſam gratiæ diuinæ negabunt; conſequens eſſe contendent? Quid autem eſt aliud, album dicere nigrũ, & nigrũ album; & quod eſt in prouerbio, eodem ore ſorbere & flare, ſi hoc non eſt? Et quoniã expreſſo verbo Dei totam ſuæ fidei doctrinam metiuntur: primùm ab illis quæro, vbi diuinis literis expreſſum eſt, ſola fide homines ſaluari: oſtendant, obſecro, nobis, in hoc ſuo, vt dicunt, clariſsimo Euangelio, aliquem ſine timore Dei, gratiam & iuſtitiam Dei conſequutum? Proferant aliquem Pharaonem, vel Nabuchodonoſorem, propter ſuperbiam & elationem animi cæleſtibus donis cumulatum, & animi tumore & impietate, vt quondam Eliam diuino amore flagrantem, igneo curru in cælum euectum eſſe? Vertant ſe in quamcunque partem aduerſarij, omnes ſacros libros euoluant, nullibi tamen reperient, aliquem impium, vel ob reiectum timorem Dei, vel ſine timore Dei, iuſtitiæ diuinæ ornamenta à clementiſsimo Deo obtinuiſſe: illud tantùm apud Dauidem Regium prophetam ſcriptum reperient: *Vidi impium ſuperexaltatum & eleuatum, ſicut Cedros Libani: & tranſiui, & ecce non erat, & quæſiui eum, & non* Pſal. 37.

 eſt in-

est inuentus locus eius. Itaque homines impios inani pompa gestientes, ac diuitiis, & opulentia elatos tumentesque, idque temerè, & ad punctum tempo-
Iacobi 4 ris (*Quid enim est vestra vita?* inquit Iacobus Apostolus, *vapor est, ad modicum parens, & deinde exterminabitur*) in diuinis literis ostendere poterunt. At verò ob repudiatum timorem Dei & Christianæ virtutis officium violatum, aliquem ad Dei gratiam & amicitiam admissum esse, ostendent nunquam. Nos verò ex diuinis literis, Sole clariùs, ostẽdemus, propter timorem Dei, homines diuinam iustitiam adipisci; & sine timore Dei, ad gratiam, ad sanctitatem, ad iustitiam, ad illam æternam & beatissimã vitam aditum patere nemini. Expendamus aliqua
Eccl. 1. sacrarum literarum testimonia: *Qui sine timore est,*
Psal. *iustificari non potest. Timete Dominum omnes sancti eius, quoniam non est inopia timentibus eum.* Ideò in-
Eccl. 1. quit S. Dauid, *Timete, quoniam non est inopia. Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam & gaudium in longitudinem dierum.* quam lætitiam? subiungit: *Timenti Deum benè erit in extremis.* Atqui si causæ rationem spectemus, maior quædam vis inest in verbo, Do, quàm in verbo, Propter: cùm illud causæ efficientis, & finalis & formalis videatur esse proprium; hoc verò etiam in causas (vt vocant philosophi) sine quibus non conuenire potest. Sed

quid verbis opus est? Forma enim sapientum consensu, existentiam, operationem, & vitam rebus largitur: ob idque ab Aristotele εὐτελέχεια, seu vt alij volunt ἐνδελέχεια appellatur: id est, rei perfectio; & vt schola philosophorũ loquitur, actus: aut quod altero verbo exprimitur, res qua continuæ quædam perennes motiones fiunt, seu ipsa motio continua & perennis. Cùm igitur timor Domini fons vitæ, corona sapientiæ, plenitudo sapientiæ, radix sapientiæ, corona exultationis, lætitia, diuitiæ, gloria, gloriatio, & vita ad extremum ipsa in sacris literis dicatur; sequitur profectò necessario, timorem Dei in constituenda iustitia & sanctitate, quæ vera vita est hominis, formæ rationem & naturam possidere. Expressa sunt in sacris literis ea de re testimonia: *Timor Domini fons vitæ, vt declinet à ruina mortis.* Prou. 14
Corona sapientiæ timor domini, replens pacem, & salutis fructũ. Eccl. 1. *Plenitudo sapientiæ est timere Deum, & plenitudo à fructibus illius: omnem domum illius implebit à generationibus, & receptacula à thesauris eius. Radix sapientiæ est timere Dominum; rami enim illius longæui. Timor Domini gloria & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis. Finis modestiæ timor* Prou. 22.
Domini, diuitiæ, gloria, & vita. Expecto quid isti ad ea respondebunt, qui timorem Dei ex essentia & visceribus iustitię Christianæ & sanctitatis euellunt, & in

& in ordinem conſequentiarum & accidentium redigunt. An negabunt timorem Domini, coronam plenitudinem, & radicem eſſe ſapientiæ, fontem vitæ, & ipſam vitam? at hoc eſt diuinas literas reiicere, & ipſius teſtimonio Dei falſitatis notam inurere. Non credo tantùm facinus illos animo deſignaturos, & tam repente, velut Circeo poculo, ex puriſsimis Euangelicis, in Scythas & Turcas incredulos transformandos iri. Pugnabunt igitur cum philoſophis, & formam operationis & exiſtendi principium, reique perfectionem negabunt. at hoc eſt naturæ rerum bellum indicere, & rationem ipſam & apertam veritatem ſtultiſsimis cuniculis oppugnare. Sed intermiſſa ſubtiliori diſputatione, videte quantum ſit inter nos & illos diſcrimen. Nos de
Eccl. 1. timore Domini (nam *in timore Domini fiducia eſt.*) illud cum Salomone vſurpare poſſumus: *Reſpicite filij nationes hominum, & ſcitote, quia nullus ſperauit in Domino & confuſus eſt. Quis enim permanſit in mandatis eius, & derelictus eſt? aut quis inuocauit eum, & deſpexit illum? Quoniam pius & miſericors eſt Deus, & remittet in die tribulationis peccata, & protector eſt omnibus exquirentibus ſe in veritate.* Illi verò, qui ſuis conſequentiis timorem Domini, virtuteſq; alias abiecerunt, & in ſola fide totius ſalutis iuſtitiæ. & ſanctitatis prςſidia conſtituerunt, quod patroci-

trocinium ſceleri & impietati (vbi enim timor Dñi non eſt, impietas eſt) ex diuinis literis afferent? an dicere poterunt: Reſpicite filij nationes hominũ,& ſcitote, quia nullus quamuis maximis flagitiis coopertus, fide tamen nuda & ſola in Chriſtum conuerſus, ſperauit in Domino & confuſus eſt? Minimè verò hoc diuinarum literarum authoritate freti dicere poterunt. Nunquam enim eas laudes impietati diuinæ tribuunt literæ. imò verò illud ex Salomone audient: *Væ duplici corde, & labiis ſceleſtis, & manibus malè facientibus, et peccatori ingredienti terram duabus viis. Væ diſſolutis corde, qui non credunt Deo, & ideò non protegentur ab eo. Væ his, qui perdiderunt ſuſtinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & diuerterunt in vias prauas: & quid facient, cùm inſpicere cœperit Deus?* At dicunt iſti, ſolius Dei miſericordia, quæ nobis per mortem Ieſu Chriſti oſtenſa eſt, nos ſaluari & iuſtitiæ opibus ditari. Quaſi vero, Eccleſia Catholica, ita ad Dei timorem, aliaſq; virtutes ſalutem & iuſtitiam noſtram referat; vt ex earum ſocietate, gratiam Ieſu Chriſti & clementiam exterminandam putet! Nam cùm à Salomone edocti, Timorem Domini coronam eſſe ſapientiæ, replentem pacem, & ſalutis fructum firmiſsimè credimus; ſimul illud, ex eodem Salomonis libro, ad eam fidem adiungimus: *Vtraque autem ſunt dona Dei.*

Eccl. 1.

Phil. 2. Neque illa nos latent: *Deus est enim, qui operatur in nobis, & velle & perficere, pro bona sua voluntate.*
1. Cor. 15. *Gratia Dei sum, id quod sum. Sine me nihil potestis*
Ioan. 15. *facere. Nemo dicit Iesus, nisi in spiritu Dei.* Itaque cùm Dauide propheta dicimus: *Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas.* Verùm cùm istis viis Domini ad cœnam illam magnam, à Deo patre per Iesum Christum paratam, adducimur, consilium Iesu Christi Dei, & Doctoris nostri secuti, nō in primo, sed in nouissimo loco, quod humilitatis & timoris Domini est, nobis recumbendum esse existimamus. recumbendum autem, non vt ibi otiosi simus, tantumque conuiuarum dignitate & splendore, virtutum gemmis vndique coruscante, oculos pascamus; sed vt tenuitatis & imbecillitatis nostrę cōscij, identidem memoria repetentes, illud tremendum verbum: *Amice ad quid huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* quemadmodum D. Paulus admonet, cum timore & tremore nostrā salutē operemur. Non
Phil. 2. enim gratia Dei, ad id nobis donatur, vt simus sine vita & sine spiritu; sed vt vitam cælitûm viuamus: non vt accepta gratia virtutē, quæ in actione consistit debilitemus; sed vt eam ad benè sanctéq; agendum exacuamus. Gratia enim Iesu Christi, non hominis naturam euertit; sed reparat: non vita hominem priuat; sed donat: non excœcat; sed illuminat:

non

non virtutem extinguit; ſed perficit & excitat: non voluntati libertatem arbitrij eripit; ſed illi eam vim tribuit,vt facillimè pietatis & ſanctitatis officio animum excoleret: non coacta; ſed libera: alioqui amiſſa libertate, non hominis voluntas eſſet; ſed iumentorum ſenſus,aut potiùs lapis & truncus: atque ita nullo pacto in illorum ſanctorum numerum venire poſſet, in quorum laudibus illud ponitur: *Qui cùm potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus.* Eccl. 31. Quibus verbis, an non Sole clariùs, homines ſancti ita opibus gratiæ Dei abundare ſignificantur; vt ſi velint virtutis, & Chriſtianæ religionis officium tueri; & contrà omnia illius repagula,conuellere & perfringere poſsint? Atq; & illud manifeſtum eſt,hominibus Dei,nō ita gratiam diuinam infundi,vt omnes penitus illorum actiones abſorbeat. Primò,quia in hoc Salomonis teſtimonio, homo nō eſſe tranſgreſſus dicitur; non Deus. Deinde, quia S. Paulus homines ſanctos, adiutores Dei appellat: *Adiutores*, inquit,*ſumus Dei.* Mitto nunc alia breuitatis ſtudio diuinarum literarum teſtimonia. Verùm, ſi gratia Dei ita omnia in homine occupauit; vt nullum penitus locum actioni humanæ reliquerit: quomodo obſecro, S. Paulus homines ſanctos, adiutores Dei appellare potuit? Quomodo enim is,qui nihil iuuat, adiutor dici, & eſſepoteſt? aut ſi iuuat, vt adiutor

dici posſit, quomodo nihil agendo iuuat? Hæc ita plana ſunt, vt conſtet eos, qui hæc non percipiunt, non ratione duci, ſed horribili mentis cœcitate rapi. Quamobrem timor Dei, & donum Dei eſt, & opus
Phil. 2. noſtrum. Dei donum eſt: *Deus enim eſt, qui operatur in nobis, velle & perficere pro bona voluntate.* noſtrum autem opus eſt; quia noſtra voluntas, cum Dei dono & actionibus, quæ operantur in nobis, velle & perficere, ita iuncta & copulata eſt; vt propter illius arbitrij libertatem, qua Dei dono & actionibus aſſenſum præbere poteſt, & negare, adiutores Dei nominemur, & ſimus. Cæterùm, vt aſſenſum noſtrum vocibus diuinis, quibus ad vineam Domini labore & ſtudio excolendam inuitamur, negemus, ad eaſque obſurdeſcamus, nos Sathanas per ſuos ſatellites monet & hortatur. Vt autem vocibus Dei ſanctiſsimis obtemperemus, ipſemet clemētiſsimus Deus, hac ſuaui oratione, omniq; amore & beneuolentia pleniſsima, nobis perſuadere conatur: *Venite*
Pſal. 33. *filij audite me, timorem Domini docebo vos.* Imò verò non tantùm vocat; ſed etiam ipſe ad nos veniens, & ad noſtri pectoris oſtium aſsiſtens pulſat, illius domicilium introire paratus. Si tamen oſtium noſtri pectoris clauſum, illi à nobis fuerit patefactum. Ita enim ipſe apud Ioannem loquitur: *Ego ſto ad oſtium*
Apco. 3. *& pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit ianu-*

ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo; sicut & ego vici, & sedi cum patre meo in throno eius: qui habet aurem audiat, quid spiritus dicat ecclesiis.

Sed iam videamus, quomodo Salomon, ad suauissimas Dei voces, quibus homines ad capessendā disciplinam timoris sui inuitat, non surdus, hac eadem diuina doctrina timoris Dei animum suum excoluerit. Neque enim illum vulgarem timorem Dei fuisse necesse est; qui Salomonem in tam alto gratiæ & gloriæ diuinæ gradu collocauerat. Grauissimas pœnas luit homo ille Euangelicus, in lautissima Domini cœna nulla amictus veste nuptiali. Quid enim acerbiùs, quid tristiùs, quid calamitosiùs illa voce cogitari potest? *Amice ad quid huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Atqui in illo apparato cælesti conuiuio, ad quod etiam claudos, surdos, & cœcos, diuina bonitas inuitauit, inuitatque, præter hunc vnum, hac terribili seuerissimi iudicis voce damnatur nemo. Quid ita? Quia timore Dei, metuq; repudiato, se in illorum numerū, qui in conspectu maiestatis diuinæ, suam cum timore & tremore operantur salutem, aggregauerat. Quòd si apud æquissimum iudicem Deum, vt audacia & superbia hominibus pœnas accersit; ita humilitas Matt. 22.

& timor Domini gratiam conciliat; profectò maximum & immenſum illũ timorem Salomonis fuiſſe neceſſe eſt, quem tanta gratia clementiſsimus Deus eſt proſecutus: vt, quemadmodum in illo homine attritis, laceratiſque veſtibus in cæleſti cæna reperto, maximæ ſeueritatis; ita in Salomone, ſummæ benignitatis & clementiæ exemplum ediderit, omnibuſque ad imitandum propoſuerit. Neque verò hæc tanta gratia Dei, & liberalitas Salomoni collata, in alias potiùs virtutes, quàm in humilitatem & timorem Domini referenda eſſe videtur. Hæc enim virtus, humi repentes in altum dignitatis gradum extollit, & vt cum propheta loquar, de ſtercore erigens pauperem, cum principibus collocat: hæc diuinum numen ſcelere violatum placat: hæc afflictis eſt ſolatium, miſeris perfugium, pereuntibus portus: hæc deniq; vna, inter alias virtutes, Deo eſt gratiſsima. Quod ita ſe habere, ipſe præpotens Deus
Iſa. 66. apud Prophetam clariſsimis verbis oſtendit: *Ad quem*, inquiens, *reſpiciam, niſi ad humilem & trementem ſermones meos?* O magnã vis timoris Domini. Legimus in pſalmo Dauidis, oculos Domini eſſe ſuper iuſtos; ſed non legimus: oculos Domini non niſi ſuper iuſtos eſſe. At verò hîc, ex Deo ipſo clementiſsimo audimus; illum non ſolùm eos, qui ad ſermones eius contremiſcunt, ſed etiam non niſi humile

miles corde, & trementes ſermones ipſius, benignè & clementer aſpicere ſolitū. O miram timoris Domini vim & præſtantiam, qui ita inter virtutes lucet ſplendetque; vt tanquam in ornatu,veſteque pretioſa ſplendidiſsima gemma; ita ipſe diuinæ maieſtatis oculos maxima afficiat voluptate! Cui enim aliquando virtuti eam laudē diuinæ literæ tribuerunt, vt ipſa vna cæteris,quaſi poſthabitis,& certo nomine ſuppreſsis, clementiſsimi Dei oculos in ſe conuerterit? Meritò itaq; Salomon ſapientiſsimus cum vno aſpectu omnium prſtantiā excellentiamq; virtutum intueretur,& quæ cæteris omnibus præſtaret diligentiùs apud ſe perpenderet; tandem timori Domini his verbis conceſsit palmam: *Timor Domini ſuper omnia.* Quamobrem ex his concludendum eſt, cùm alias virtutes, potiſsimè tamen timorem Domini,Salomonem in gratia Dei poſuiſſe: ex eo autem,quòd Deus iuſtiſsimus,reddat vnicuique, vt Propheta loquitur,iuxta opera ſua, & munera donaque cæleſtia, meritis hominum, quaſi quibuſdam librata ponderibus elargiatur,illud efficitur; eundē æquè iuſtiſsimum atq; clementiſsimū Deum,omnia illa maxima ſua beneficia, immenſaſq; ſuæ gratiæ opes, ob ſummum quendam, & incredibilem timorem diuinum, in Salomonem contuliſſe. Pſal. 13.

Verùm hæcipſa,in Salomonis actionibus ſpecte-

in ſe

mus:ne ea,quæ in ſe ſunt clariſsima,coniectura tantùm aſſequi videamur.quanquã non vſus ſum verbo, quo debui.Nõ enim coniectura appellanda eſt teſtimoniũ Dei;ſed certiſsimum argumentũ. Deus enim intima voluntatis humanæ conſilia perſcrutatur: & quę difficultatum latebris natura occultauit, & ab oculis ſenſuq; hominũ remouit; ea præpotenti Deo patent, in promptuq; ſunt omnia. Itaq; vt hominũ notitia de intimis cogitationibus coniectura eſt;ita Dei omnia perſpicientis,certiſsimum argumentum. Sed tamen,vt nos quoque in ea ipſa,quæ teſtimonio Dei ſunt certiſsima, oculos inferre poſsimus, eaque clariſsimè intueri; acrem aciem in omnes Salomonis actiones intendamus. Vide igitur tu inprimis, SIGISMVNDE REX,Regem Salomonem:iuuenis, iuuenem: quid ad clauum regni Iſraëlitici collocatus, regalique corona redimitus faciat: in quo ſpes ſuas figat: quid timeat, & quomodo: quem finem regnandi omniumque actionum ſibi proponat. Et quoniam finis licet ſit vltimus in executione,primus tamen eſt in animo ſapientis,eſtque omnium actionum humanarum cauſa, prima & maxima, hominẽ ad agendum impellens; ideò primùm omnium, intuëre,quem regnandi ſcopum ſibi Salomon conſtituat, in eumque animo & cogitatione defixus, omnes ſuas ad eum dirigat actiones. Quem igitur in

hoc

hoc amplissimo regno scopum Salomonis esse existimabimus? nempè eum, qui & regno vtilissimus esset, & illi ipsi conuenientissimus. Porrò sapienti & cordato viro, præter ipsum summum bonum, nullus alius finis conuenire potest: cùm non nisi in summo bono, animus hominis conquiescat. Iustitia verò & æquitas, nerui sunt atque artus Reipub. Sunt enim ad rectè gubernãdam Rempub. ita necessaria; vt nec illi quidem, quod M. Tullius prudentissimus Senator obseruauit, qui maleficio & scelere pascuntur, possunt sine vlla particula iustitiæ viuere. Quis autem adeò demens est, qui non inprimis summum bonum, veramq́ue & stabilem felicitatem sibi esse expetendam putet: eaq́ue omnia, quæ in illius possessionem ducunt, auidissimè persequatur? Natura enim comparatum est, vt bona appetamus, mala fugiamus. Sed opes & fortunæ voluptatumq́ue illecebræ, plerumque sensum hominibus eripiunt: & quemadmodũ cœcus ex altissima rupe præcipitatus, non ad eum, quem velit, fertur locum, sed ad quem pondere deprimitur; ita diuitiæ & voluptates, hominis superbi & amentis animum conturbant; vt non sit aptus ad exequendum munus suum. Cùm verò Salomon contra hos omnes, virtutis & veræ felicitatis hostes, superior fuerit: neque enim illum regnandi initium maxima rerum omnium co-

pia abundans, ab summa integritate continentiaq; deduxit; tametsi de hac optima ipsius voluntate, nihil consignatum in sacris literis haberemus; tamen ex illius sapientia & pietate, facilè coniicere possemus; eum, cùm regni Israëlitici clauum tenere cœpisset, in solo bono & æquitate suis actionibus finē defixisse. Verùm satis disertis verbis ipsemet sapientissimus Salomon, in suis ad Deum precibus significat, se non alium finem, cùm esset regnum Israëlis adeptus, spectauisse. Verba sunt Salomonis: *Dabis ergo seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit, & discernere inter bonum & malum.* Paucis verbis Salomon, & finem, & ea, quæ consequuntur finem complexus est. Nam in causis rerum, bonum est finis. Bonum autem illud, quod præpotens Deus, cùm aliis rebus, tum humanis actionibus finem destinauit, est summum bonum & ipsemet Deus. Atqui hîc Salomon, non alterius boni cognitionem à Deo expetit; quàm illius, ad quod, cùm homines magno excelsoque animo contendunt, singularem apud Deum gratiā ineunt; & à quo, cùm deflectunt, ingentem in se Dei concitant iram. Hinc est, quòd Salomon non boni tantùm, sed & mali cognitionē sibi dari postulat; nempè vt & bonum sequi, & malum vitare posit. Et quoniam in expetenda cognitione boni & mali Salomonem Deo plurimùm placuisse

3.Reg.3.

cuisse videmus: illud autem certum est, neminem, qui in suis actionibus, alium finem, præter Deum, intueretur, Deo gratum esse posse; necessariò profectò concluditur, Salomonem nullum alium præter summum bonum, sibi in regnando proposuisse finem, in illius contemplatione, mentem cogitationesque demersisse, ad eumque consequendum omnes suas actiones instituisse. Egredere igitur, ô REX SIGISMVNDE, & non solùm vide Salomonem in diademate suo; sed etiam causam apud te expende, propter quam mater sua, tam præstanti diademate illum coronârit; vt pij sapientisque Salomonis vestigiis insistens, primùm ad sapientiam & summam felicitatem facias gradum. Verùm, cùm animus desiderio summi boni inflammatus, non ab humanę naturæ viribus proueniat; sed ex fontibus diuinæ gratiæ in homines redundet; eamobrem eiusmodi animus in cælum erectus, solamque Dei gloriã spectans, est tibi à clementissimo Deo sæpiùs magnoq; conatu expetendus, illa eadem precationis, à Salomone edita, forma. quam quidem non humanam, sed diuinam esse, illud est argumento: quòd immensas cælestis gratiæ opes, ita à diuina liberalitate obtinuerit; vt illius feruor, non solùm cælum penetrâsse, verùmetiam in venis medullisque, Dei clementiæ & benignitatis insedisse videatur. Magna sunt &

diuina in iſta precatione, omnia, nullaque vox in ea perſonat, quæ non odorem Deo ſuauiſsimum exhalaret, & quæ tua regia dignitate, ſingularique pietate, non eſſet digniſsima. Atque illud quidem inter cætera, cùm in ea precatione audis, Salomonem à clementiſsimo Deo notitiam boni & mali ardenter efflagitâre, non eſt hoc in eum ſenſum accipiendum; ac ſi Salomon omnis cognitionis boni & mali expers fuiſſet; cùm animus hominis rectè à ratione informatus, rem penitùs ignotam nullo modo concupiſcat; ſed in eo & ardens boni & mali cognoſcendi ſtudium, & magna quædam humilitas, ac animi ſummiſsio nobis admiranda, atque in vita & in moribus imitatione exprimenda, venit. Ad ſtudiũ quidem Salomonis pertinebat, non antè in cognitione boni & mali conquieſcere, quàm rem tantam & ſalutarem, quantùm ſatis eſt ad benè beatéque viuendum animo comprehenderet: & vt nòn ſolùm in genere ſciret, quid bonum, quidúe malum eſſet; ſed etiam, vt in omnibus actionibus bonum à malo ſecernere poſſet: ne vel in augenda Dei Opt: Max: gloria, regnique Iſraëlitici commodis, aliquid ad rem ſpectans præteriret: vel in iudicandis hominum cauſis, ignorata æqui & iniqui ratione, alicui iniuriam inferret: atque ita in Deum clementiſsimum, qui damna iniuriaſque miſerorum in ſe ſuſcipit, grauiter

uiter peccaret. Illud verò ad magnam humilitatem Salomonis, & animi ſubmiſsionem referri debet: cùm in re non malè cognita & perſpecta, ſuam prodit ignorantiam. Eſt enim hoc ſapientum virorum proprium; vt, tametſi doctrina aliis antecedant, præclarumque multarum rerum ſcientiam ſint adepti; tamen quòd in abſolutam & perfectã altiſsimerum cauſarum cognitionẽ non peruenerint, ſe ignorare, & nihil ſcire profiteantur. Stulti contrà, cùm ipſa rerum caligine & ignorantia ſint vndique circumfuſi; tamen in media veritatis luce, ſe verſari arbitrantur. An non Socrates aliis ſapientia gloriantibus, ſuumque nomen, artium maximarum laude celebrantibus, illud tantùm ſe ſcire, quòd nihil ſciret ingenuè eſt profeſſus? Atqui is oraculo Apollinis ſapientiſsimus eſt iudicatus; tantũ abeſt, vt illis, qui ſuam eruditionem venditabant rerum cognitione & ſcientia, fuerit inferior. Vtinam verò in rerũ diuinarum cognitione, tantum progreſſum faceremus; quantum Salomoni in his ſuis ad Deum fuſis precibus, ſe ignorare confitetur. Non habuit Salomon, tam ſublimem, de ſummo bono & vltimo fine notitiam, cùm regni Iſraëlitici gubernacula tractare cœpiſſet; quanta illa fuit, cùm eſſet diuina illa ſummaque ſapientia à Deo colluſtratus: at eam habuit; vt in honore regio maximaque dignitate, De-

um inprimis timendum, & ex illius voluntate omnia facienda esse statueret. Non erat tanta rerum diuinarum intelligentia præditus, vt sciret quid ageret Deus, & quid de sua vita & salute decerneret: at tanta præditus fuit, vt sibi certissimè persuaderet, Deum, quid ipse ageret, quas animo cogitationes susciperet, quo voluntatem inclinaret, clarissimè intueri. Non potuit denique obtutu mentis suæ, tam clarum diuinæ naturæ lumen videre; vt quondam Lucifer ille, qui, vt Isaias loquitur, manè oriebatur & vulnerabat gentes, videbat: at tantum videre potuit, vt iudicaret, in conspectu Dei cernentis omnia, magno cum timore & humilitate versandum esse: nihilq; quod illius oculos offenderet agendum, cogitandumque. Magna vis timoris Domini: magna summissi animi & humilitatis: magna item vis superbiæ & arrogantiæ: magna tumidi inflatique animi & audaciæ; sed vtrunque magnum, magno cum discrimine. Superbia enim & proiectus, ad audendum animus, Luciferum è sublimi cælo ad profundum inferni chaos deturbauit: humilitas & timor Domini, Salomonem summis virtutibus & sapientia, in cælum euexit. Illa Luciferum ab aspectu Dei iucundissimo reiecit; hæc Salomonem ad familiare iucundumque, cum Deo colloquium, claramq; illius visionem & admirabilem admisit. Illa cum ma-

gna

gna ſummi boni cognitione, ornamenta cæleſtia & diuina Lucifero diſsipauit; hæc cum parua vel mediocri eiuſdem ſummi boni notitia, ſummas opes Dei gratiæ & cæleſtis ſapientiæ Salomoni parauit. Itaque, ſi ex effectu cauſæ ponderandæ ſunt: magnã in Lucifero ſummi boni cognitionem, cum ſuperbia & audacia copulatam, paruam aut potiùs nullam; exiguam autem Salomonis de Deo ſcientiam, timore Dei & humilitate, veluti vallo quodam contra rapinam ſceleris & impietatis munitam, inſignem admirabilemque iudicandam eſſe.

Facilè autem ex ea ſummi boni cognitione, intelligi poteſt, quid Salomon agat, quid faciat, in quo perficiendo curas & ſtudia ſua conſumat. Primùm enim, illud eum facere neceſſe eſt, quod finem propoſitum, hoc eſt, ſummum bonum intuens, ſibi faciendum animo deſignauit. Ea enim eſt humanæ mentis natura; vt nihil agat, quod non priùs animo definierit: & quæ certo facienda definiuit, ea ſtudio & diligentia conſtantiſsimè perſequatur. Finis verò, & ſummi boni ratio, ea eſt; vt ſua intelligentia ingens in animo cognoſcentis, deſiderium ſui ingeneret: deſiderium autem hominem ad actiones adipiſcendi finẽ impellat: nec illum aliud quippiam, quàm quod ad conſequendum finem plurimùm facere videatur, agere permittat. Cùm itaq;

Salomon cogniti finis, hoc eſt, ſummi infinitiq; boni, maximo deſiderio teneatur; quid mirum, ſi regali dignitate initiatus, prȩter illud agat nihil, quod ad ſummi boni poſſeſsionem, Deique gratiam conſequendam viam ſternat, aditumq; patefaciat? Ad conſequendam Dei gratiam facit plurimùm, rebus ſecundis non extolli, nihil ſibi, omnia Deo tribuere. Itaque Salomon proſperis rebus non effertur, nihil ſibi, omnia Deo tribuit, ſeipſumque in conſpectu Dei abiicit, & deſpicit: non enim ſe Regem, ſed ſeruum; non virum nec iuuenem, ſed puerum, & puerum paruulum appellat: *Et tunc*, inquit ipſe Salomon, *Domine Deus, tu regnare fecisti ſeruum tuum, pro David patre meo, ego autem ſum puer paruulus.* Ad conſequendam Dei gratiam & vltimum finem, plurimùm confert, ſe nõ voluntate ſolùm, ſed & intellectu in conſpectu Dei deiicere, & quaſi in terram ſternere. Itaque Salomon, non ſuæ prudentiæ laudes celebrat, ſed imprudentiæ magnitudinem commemorat: non ſe ſcire, ſed neſcire boni & mali diſcrimen, dicit: doceri, non docere cupit: non denique ea omnia, quæ ad rationem adminiſtrandi regni pertinent, ſe probè tenere gloriatur; ſed ingreſſum & egreſſum ſuum ſe ignorare coram Deo humillimè confitetur: *Et ignorans egreſſum et introitum meum.* Ad conſequendam Dei gratiam & vltimum

mum finem, multùm intereſt, cor docile habere, & à corde obſtinato, duro, & lapideo, quàm longiſsimè abeſſe. Itaque Salomon, non aurum,non gemmas, & lapides pretioſos, ſed cor docile à Deo ſibi donari vehementer expoſcit: *Dabis ergo*, inquit, *ſeruo tuo cor docile.* Ad conſequendam Dei gratiam & vltimum finem, maxima præſidia adfert diligens iuſtitiæ & æquitatis ſtudium. Itaque Salomon in hoc potiſsimùm elaborat, hoc magnis precibus à Deo efflagitat,vt quòd munus proprium eſt iuſtitiæ, ſuum cuique reddat, nemini ſuo iudicio noceat, proſit omnibus, omnia denique ex æquitate, & lege diuina iudicet & ſtatuat: *Dabis ergo ſeruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare poſſit.* Ad conſequendam Dei gratiam & vltimum finem, in cognitione & magno deſiderio eiuſdem finis, plurimùm poſitum eſt. Itaque Salomon, non aliud deſiderat, quàm boni & mali notitiam: non aliud exoptat, quàm iuſtitiæ & æquitatis adminiſtrationem: non denique aliud à Deo ſibi concedi tribuique poſtulat, quàm ſapientiam: *Dabis ergo ſeruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare poſsit, & diſcernere inter bonum & malum.* & paulò pòſt: *Et dixit Dominus Salomoni: Quia poſtulaſti verbum hoc, & non petiſti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum, ſed poſtulaſti tibi ſapientiam, ad*

discernendum iudicium: ecce feci tibi secundùm sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens & intelligens, in tantum vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. Egredere igitur, SIGISMVNDE REX optime, & vide Salomonem in diademate suo, cuius præstantia & splendor, non solùm filias Sion admiratione, sed & ipsum clementissimum Deum maxima afficit voluptate. Eius enim sunt deliciæ, esse cum filiis hominum. Sola autem pietas, sapientia, cæteræque virtutes, esse cum Deo faciunt, hominemque cum præpotenti Deo arctissimis amicitiæ vinculis coniungunt.

Sequitur timor Domini, eiusque magnitudo. Is enim proximè sequitur, eas actiones, ad quas exercendas cognitus finis, homines maximo studio incendit atque inflammat. Sequitur autem eiusmodi actiones, non tempore, sed natura, vt philosophi loquuntur. Cognitio enim summi boni & finis, eodem temporis momento, homines & ad cõsequendum finem incitat, & eorum animis vehementem iniicit timorem; ne aliquid eorum studium adipiscendi finis interturbet. Imò verò, si diligentiùs naturam rerum inspiciamus, antè omnem actionem, illud sapienti viro, cognito fine, occurrit, ne aliquid agat quod noceat, & obsit. Verùm cùm hoc summo bono & vltimo fini, ex euentu quodam accidat,

eamobrem timor, qui natura, alias actiones sequitur, per accidens, vt philosopi loquuntur, easdem tempore, aut antecedit, aut simul eas concomitatur. Si enim, nec aliquod malum esset, quod consequendo fini obstaret; nec deinde alicubi auxilia extarent, quibus ad possessionem cogniti boni niti possemus; profectò in agendo nec mala formidaremus, nec spe aliqua sustentaremur. Solū enim malū metum incutit. quare si nullū malum extabit;omnis è vestigio metus interibit. Illud autē nullius spē aleret,in quo ad bene beatéq; viuendum nihil præsidij inesset. Quemadmodū ergo si mala omnia natura è medio tolleret, nullus metus homines terreret; ita si nullam opem ad felicem vitam, in hac vniuersitate rerum relinqueret, nulla spes hominum animi teneretur. Cùm autē ad felicitatem aspirantibus,& multa mala se offerant, quæ incautos de felicitatis gradu deiicere, & è contra multa auxilia sese ostendant, quibus freti aduersa superare possent: inde accidit, vt homines & impendentia mala timeant, & in spem felicitatis inducantur. Vtrunque autem hominum actiones exacuit.Nam si nihil metuerent, remissiùs agerent; si autem nulla spe niterentur,ob euenturum bonum,agerent nihil. Quamobrem regius Propheta, vtrunque hac sententia coniunxit: *Qui timent Dominum, sperauerunt in Domino, adiutor eo-*

tor eorum, & protector eorum est. In quo illud animaduersione dignum est, Dauidem spei præmisisse diuinum timorem; vt ostendat, non nisi eos, qui timent Dominum, in aduersis rebus spe firma à præpotenti Deo auxilia expectare. Porrò in timore Dei multi sunt gradus. Est enim timor alius alio maior. Si enim alicui mediocre obiicitur bonum, mediocri etiã timore, amittendi illius boni, exagitatur. Stultus enim esset, qui propter amissum terunciũ magno se dolore cruciaret. Sin autem summum infinitumque bonum est, in quo consequendo vir sapiens sibi desudandum esse decreuit; immensum quoddã & propè infinitum malum iudicatur, quod illius conatum, susceptosque labores eluderet. Ex huiusmodi autẽ impendentis mali consideratione, ingens timor in eius animo exoritur, qui maximo desiderio summi consequendi boni exarsit. Amens enim esset, qui in summi boni amißione, non sibi vehementer timendum esse existimaret. Hæc cùm ita sint, facilè ex his sapientis Regis timor eiusq; magnitudo apparebit. Quod enim bonum consequendum sibi proponit Salomon? summũ infinitumq;. Igitur malũ non mediocre; sed summum propéq; infinitum illud esse iudicat, quod illi tanti boni possesßionem eripere posset. Ex quo concluditur, ingentem timorem illum fuisse, qui Salomonis, in consequutione summi boni maxima mala &

la & impedimenta conſiderantis, tenerrimum pectus percellebat. Adde animi & corporis virium, magnam imbecillitatem: quæ iter lubricum,& difficilè reddit ad benè beatéque viuendum. Quæ in ſe Salomon conſiderans, meritò ſe eſſe puerum, & puerum paruulum confitetur. Quid illud,cùm,quò ſit ingrediendum,aut egrediendum ignoratur? An non vel ſolæ tenebræ, in lucem emergere cupienti, & in tenebricoſiſsimo carcere, plenoq́ue cauernis & anfractibus,quò ſit iter tenendum ignoranti,magnum timorem incutiunt? & vndequaque improuiſas & horribiles formidines animo illius immittunt? At Salomon, in huius vitæ tenebricoſiſsimo carcere, plenoq́ue anfractibus periculoſiſsimis,ſe ingreſſum & egreſſum ſuum ignorare conqueritur: & ſuis viribus omninò diffidens, ac impendentium malorum metu vehementer perterritus, ſe totum ad Deum, qui pro ſua clementia nouit, diffidentes rebus ſuis confirmare,afflictos erigere,perditoſq́ue recreare,conuertit. Verùm ipſa Salomonis verba proferam, vt in his,veluti in quodam ſpeculo,Salomonis timorem eiuſq́ue magnitudinem videamus: *Et nũc Domine Deus,tu regnare feciſti ſeruum tuum pro Dauid patre meo, ego autem ſum puer paruulus, & ignorans egreſſum & introitum meum, & ſeruus tuus eſt in medio populi quem elegiſti, populi infiniti, qui nu-*

menari et supputari nō poteſt, præ multitudine. Intuere hîc paululū, REX ſereniſsime, timorem Salomonis, his paucis verbis egregiè expreſſum. In medio populi infiniti Rex factus Salomon, illud timet ne regnando ſummū amittat bonū; magna iactura, magnus timor. Videt in ampliſsimo regno maxima ſalutis pericula, tot laqueos, tot impedimēta, exiguas & imbecilles ſuas vires: videt tot tantiſq; malis ſuperandis lōgè eſſe impares; hinc eſt quòd puerū, & puerum paruulū ſe dicat: videt breue tempus datū eſſe vitæ, longum præmio aut pœnæ: videt ſuam ætatem inſtabilem, animū mutabilem, omnia fluxa, incerta, & caduca: ſcit grauiſsima illi ſupplicia parata eſſe
Sap. 6. *(potentes enim potenter tormenta patientur)* qui in regendo ſibi cōmiſſo populo aberraret: neſcit introitū & egreſſum ſuū. egreſſum autem ex tot tantiſq; periculis, & tam denſis tenebris: & introitum, non ad quamuìs lucem, ſed ad lucem ſempiternam, ad Dei gratiā, ad ſummam ſempiternamq; felicitatē. Quid, an non in his omnibus ingens Salomonis timor perſpicitur? Mihi verò, hæc omnia conſideranti, non in minori timore Salomon ſceptrū regium tenens, eſſe videtur; quàm ille apud D. Damaſcenum homo, vnicornem fugiens, & in horrendum baratrum incidens, eſſe debuit. dixi, eſſe debuit. Meritò enim tantis periculis & malis circumſeptus, in magno timore

esse debuit. Sed quia imprudens erat, ob leuissimũ vitæ huius solatiũ, summi periculi timorem abiecit. Nam in periculo huius hominis, D. Damascenus, eorum stultitiam, oculis hominũ proponit, qui sese ita huius vitæ voluptatibus dediderunt; vt nullam de morte, & de futura vita, cogitationẽ suscipiant. Sed quo isti stultiores; hoc Salomon, prospiciens futura, sapientior apparebit. Referam ad verbum eam præclaram similitudinem D. Damasceni, vt quantus timor fuerit Salomonis, aliquomodo videre possumus. Is enim stans in illa D. Damasceni basi, omnia intenta sibi pericula vehemẽter formidat: *Qui præsentibus*, inquit B. Damascenus, *inhiant negotiis, & nullam habent futurorum memoriam, sed delectationẽ corporalem incessanter desiderant, similes esse arbitror homini fugienti à facie furentis vnicornis; quem dum fugeret, ne deuoraretur ab eo, incidit in baratrum; dum autem caderet, manibus extensis arbusculã quandam apprehendit, & fortiter tenuit, & in basi quadam pedibus impressis, visum est sibi in pace de reliquo fore & stabilitate. Respiciens ergo, vidit duos mures, album vnum, alterum nigrum, corrodentes radicem arbusculæ, & iam propè erat, vt abscinderent. In imo baratro, vidit draconem, aspectu terribilem, ignem spirantem, & deuorare eum cupientem. Intuens verò rursus basim illam, super quam pedes habebat firmatos, vidit qua-*

dit quatuor aſpidum capita, de pariete prodeuntia. Eleuans autem oculos, vidit de ramis arbuſculæ illius exiguum mel diſtillans. Dimittens ergo conſiderare quæ circumdederunt eum mala, ſeipſum dulcedini illius mellis tradidit. O ſtuporem mentis admirabilem! Ingens malum, mortem, cruciatũ ſibi imminere videt; & tamen qua ratione, ex tantis malis euadat nõ cogitat. Iam iam ab immani dracone deuorandus eſt; & tamẽ mauult exigua mellis ſuauitate teneri, quàm immaniſsimi draconis os teterrimũ euitare. O ſcelus, ô portentum in vltimas terras deportandum! Quod enim monſtrũ, quod portentum, Africa, monſtrorum parens, huic ſimile vnquam edidit, ex tot tantiſq; rebus inter ſe diſcrepantibus concinnatum? Si enim homo eſt; cur ratione non vtitur? ſi voluntatem habet; cur non bonum eligit, malum abiicit? ſi ſenſum habet; cur tantis malis non commouetur? Sed iam D. Damaſcenum hanc ſimilitudinem explicantem audiamus. Clariſsimè enim perſpiciemus, eos omnes, huic inſano dementiſsimoque homini ſimillimos eſſe: quos cœca libido in ſeruitutem inanis gloriæ, & obſcœniſsimæ voluptatis mancipauit: *Hæc ſimilitudo* (verba ſunt B. Damaſceni) *eſt eorum, qui ſeductioni præſentis ſeculi adhæreſcunt; cuius expoſitio hæc eſt: Vnicornis figuram tenet mortis, quæ ſemper perſequitur genus humanum. Barathrum*

In hiſto: Barlaam & Ioſaphat.

trum vero mundus est ipse, plenus omnibus malis & mortiferis laqueis. Arbuscula autem, quæ à duobus muribus incessanter incidebatur, quam apprehendimus vitæ nostræ mensura est, quæ consumitur & diminuitur per horas diei & noctis, & incisioni paulatim appropiat. Quatuor verò aspides, constructionem humani corporis ex quatuor elementis significant, quibus inordinatis compago dissoluitur. Draco infernus est, qui cupit suscipere eos, qui delectationes præsentes futuris præponunt. Stilla verò mellis dulcedinem significat, & delectationẽ mundi. Hactenus B. Damascenus, vt clarissimè, ita verissimè. Quis enim non intelligit, hæc tot tantaque pericula hominibus intenta esse? quis non videt, quotidie homines morbis vexari: infinitis malis affligi: incautosque, inopinatæ, & horrendæ mortis fluctibus absorberi? Ergo stultus omninò & amens est ille, qui in tot tantaque mala coniectus, ex parua mellis portione leuamen quęrit; Salomon sapiens, qui ex summa Dei benignitate & clementia, solatia reportat. Verùm, si ex comparatione huius amentis hominis, à D. Damasceno nobis propositi, Salomonis pietatem & sapientiam spectare placet; nihil erit in Salomone, quod illius actionibus vehementer non repugnet. Ille enim in maximis periculis, ad exiguam fluxamque illecebram voluptatis, tanquam ad summum bonum adhærescit; at

Salomon totus à Dei liberalitate & clementia pendet. Ille miser & deplorandæ calamitatis homo, iam iam à dracone teterrimo deuorandus, exigua voluptate, à contemplatione summi boni, extremique mali sese auertit; at Salomon in immensam Dei gloriam, æternamque felicitatem, ita mentem cogitationemq; suam defigit; vt quamuis amplissimis honoribus abundet, ac omni Macedonum gaza potiatur; ea tamen omnia, quæ homines in terram depressi admirantur, vanitatem vanitatum esse pronunciet: maximè autem corporis voluptatem, in cuius regno virtus non potest consistere, iudicat indignam esse hominis præstantia. Ille vt se perderet, & præterita obliuione obruit, & futura non prospicit: non basis, in qua stat, infirmitatem videt: non baratri immensam voraginem aspicit: non draconē teterrimo ore grauissimum odorem & pœnas inferni inhalantem, ac corpori & animo suo inhiantem, considerat; at Salomon ne minima re Deum offenderet, atque ita consuleret vitæ & felicitati suæ, futura prospicit, nosque, vt ita faceremus, diligenter his verbis adhortatur: *Memorare nouissima, & in æternum non peccabis.* Ille imbecillā basim, tam firmum præsidium habere, tamque sartam tectam ab omni periculo putat, vt in vtranque aurem dormire videatur; at Salomon, magni Regis sanctique

Eccl. 7.

Pro-

Prophetæ filius, maximis pignoribus gratiæ Dei diuinitùs acceptis; nihil tamen in tuto esse, sed omnia suspecta, omnia plena periculis arbitratur; adeò vt existimet amplissimo regno, non aliter atq; illa imbecilla basi pedes suos sustentari: ac proinde, quòd ingressum & egressum suum ignoret, maximo timoris cruciatu angitur. Illum stultitia & amentia ex altissimo gratiæ Dei domicilio deprimit, & in fœdam voluptatem, omniumque bonorum desperationem demergit: at Salomonem sapientia & timor Domini, ad spem immortalitatis rapit. Scilicet ille, qui nō timet Dominum, non sperat in Domino; iste contra, qui timet Dominum, sperat in Domino. Quoniam verò vehementer, & timet Dominum, & sperat in Domino; ideò Dominus non solùm adiutor (placet enim verbis prophetæ vti) & protector, verùm etiam maximus adiutor, & protector est illius: *Qui timent*, inquit S. prophetæ, *Dominum, sperauerunt in Domino, quoniam adiutor & protector eorum est.* Sit igitur ratum & fixum: eum, qui sperat in Domino, necessariò timere Dominum, & præter eum, qui timet Dominum, sperare in Dominum neminē. Manifestum est, Salomonem non solùm timuisse; sed & vehementer timuisse Dominum. Manifestum & illud, Salomonem in solius Dei clementia, omnem suam spem habuisse. Quantam verò spē, in hac

Dei benignitate & clementia, positam habuerit, breuiter expendamus. Amplissimum regnum Salomoni, reliquit potentissimus Rex Dauid, magnas opes, nullos hostes, maximum belli apparatum. Quid igitur? an in aliquo horum, aut in his omnibus, vitæ & felicitatis suæ præsidia Salomon collocauit. Minimè verò. Sciuit enim Deum, rerum etiam minimarum causam esse: stulti autem & amentis esse putauit, rerum etiam minimarum Deum causam esse confiteri; rei autem omnium maximæ, qualis est iustitia & sanctitas, in quibus est vita beata, regnique rectè ac laudabiliter administrandi ratio, causam ingenio, atque viribus humanis assignare. Itaque Salomon, à multorum hominum opinione, & sententia, longè hac in parte sibi recedendum esse existimauit. Multi enim sunt, atque, vtinam non plurimi inter Christianos essent, qui abundatia rerum, & multitudine equorum & quadrigarum, putant se ad fastigium ipsius felicitatis euolasse. At Salomon nō immemor doctrinæ patris, sæpiùs animum ad diuina illa consilia reuocabat: *Non saluatur Rex per*
Psal. 32. *multam virtutem, & Gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ. Fallax equus ad salutem, in abundantia autem virtutis suæ non saluabitur.* Itaque non in opibus, non diuitiis, non robore corporis, non florenti ætate, non magno firmoque exercitu; sed solius.

ſolius Dei clementia, & benignitate, mentem cogitationemq́ue ſuam ſuſtentabat. Probè enim illud nouerat: *Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius, vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame. Anima noſtra ſuſtinet Dominum, quoniam adiutor & protector noſter eſt.* Psal. 32. Quòd ſi diligentiùs in iſtam diuinã ſpem, à Salomone in ſolius benignitate Dei repoſitam, inſpiciamus, intelligemus Salomonem; non ſolùm maxima ſpe clementiæ Dei ſuum erexiſſe animum, verùmetiam ſapientiſsimè erexiſſe. Primùm enim in hac ſua ad Deum, maxima cum humilitate & timore effuſa precatione, nihil omittit, quod ad vitandũ malum, & ſummum obtinendum bonum pertineat. Bonum enim eſt finis. Cognitio autem boni eſt conditio, ſine qua nemo poteſt appetere bonũ. Ignoti enim nulla cupido. Boni verò & mali cognitio eſt illud, quod & timorem mali, & deſiderium boni, vehementer excitat. Cor docile autem, eſt materia præparata & apta, ad excipiendam formã & ſpeciem boni. Quæ omnia in hac breui Salomonis precatione cernere licet: *Dabis ergo ſeruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare poſſit, & diſcernere inter bonum & malum.* Deinde non ſolùm ea omnia, quæ ad conſequendum finem plurimũ conferunt, implorat & expoſcit; verùmetiam id facit

ſingulari ordine & modo. Ante omnia enim, cor docile ſibi donari poſtulat: *Dabis ergo ſeruo tuo cor docile.* Cur ita? Quia vt forma cuiuſque rei, diſpoſitam materiam, ita ſummi boni cognitio, quæ eſt gratiæ diuinæ principium, cor docile requirit. Fruſtra enim de cognitione ſummi boni cogitatio ſuſcipitur, ſi cor docile ante non habeatur: quemadmodum ſi imber copioſus in terram ſubactam decidat, recipitur, ex ſaxo & petra defluit; ſic cor durum & ſaxeum diuinæ cognitionis & gratiæ, capax eſſe nō poteſt. Quid enim efficaciùs fuit ad permouendum animum ſtupendis Moyſis miraculis & admirandis prodigiis? nihil tamen illa obduratum cor Pharaonis permouerunt. Adeò durus obſtinatuſque fuit Pharao, vt grauiſsimas pœnas nō ſentiret. Aquas in ſanguinem conuerſas videt Pharao; plagam Dei non timet: primos natu ſuorum filios, diuinitùs occidi animaduertit; non condolet: variis & mortiferis vrgetur morbis; non ſentit: cimicibus & fœtidiſsimis ranis, & vrbem, & palatium ſuum oppleri videt; non perhorreſcit: nouis ſubinde vulneratur plagis; non corrigitur: ad extremum maris rubri vndas, & ad populum Dei defendendum, & ad ſe opprimendum, inſtar muri ex vtraque parte erectas & in ſublimè elatas videt; & tamen amens fureńſq; in medium periculum ſe coniicit, & ita vndis cum

vni-

vniuerſo exercitu demerſus obrutuſque, pœnas grauiſsimas furoris & amentiæ perſoluit. Tot tantaq; mala cor durũ & ſaxeũ Pharaoni procreauit. Meritò itaque Salomon, ante omnia cor docile ſibi donari poſtulat, & maximopere poſtulat. Atq; in hoc quidẽ incenſo inflammatoque ad ſapientiam Salomonis ſtudio, cùm aliæ plurimæ virtutes, tùm inter omnes eminet, in omni dignitate, humilitas & timor Domini. Cur enim Salomon, cor docile ſibi donari poſtulat? cur id, quo abundare videtur in ſe, deſiderat? Si enim ideò cor Pharaonis durum & ſaxeum: quia Dei monitis repugnat, & grauiſsimas plagas non ſentit; profectò Salomonis docile, quod ſe diuinis præceptis accommodat, quodq; ſe in omnibus præpotentis Dei ſubiicit voluntati. Verùm ita ſe res habet; vt quo quis ſapientior fuerit, hoc maiori ſapientiæ deſiderio incendatur. Ita enim ſapientia de ſeipſa loquitur: *Qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me, adhuc ſitient.* Eccl. 24. Quo autem quis maiori alicuius rei deſiderio flagrat; hoc & plura in ſe requirit, & maiori metu, ne aliquid ſibi in eius adeptione obſtaret, cruciatur. Non eſt igitur mirum ſapientem Salomonem, à præpotenti Deo cor docile ardenter poſtulare. Vt autem ex duro lapideoq; corde, tot tantaque mala in Pharaonem redundarunt; ita ex corde docili Salomonis, multa eaque præ-

præclarissima bona effluxerunt. Nam à Dei gratia & benignitate, Pharao fuit reiectus, Salomon receptus: ille notitiam Dei amisit; hic maximam acquisiuit: illum mare suffocauit; hunc immensus diuini amoris æstus absorbuit. Tantam enim latitudinem, vt sacræ literæ loquuntur, cordis, Salomoni clementissimus dederat Deus; quasi arenam, quæ est in littore maris. O magnam & admirandam vim, humilitatis & timoris Domini: quæ cùm animum hominis deprimendo, suis quasi viribus expoliat, tum diuinis armat: cùm proprio ornatu denudat, cælesti ornat: cùm in terram sternit, in cælum erigit: cùm sibi ingratum, abiectum, vilem, contemptum, despectumque efficit, tum Deo ornatum, diuitem, splendidum, ac in omnibus reddit gratissimum! Egredere igitur, SIGISMVNDE REX optime, & vide Salomonem in diademate suo, in quo illum coronauit mater sua. Timor enim Domini, est corona sapientiæ, adeóque splendens corona; vt non solùm filias Sion, in sui conuerterit admirationem, sed & Deum ipsum è cælo ad videndum Salomonem, maximisq; bonis ornandum illustrandumq; deuocauerit.

Hæc de timore Salomonis eiusq; magnitudine: quæ, si copiosiùs explicata sunt, nemini mirũ videri debet. Quod enim ad veram felicitatem & vitã beatam maximopere conducit, leui brachio transigendum

dum non eſt. Atque & illud, ea explicatione conſecuti ſumus, vt ea, quæ de diuino Salomonis amore, ardentiq́ue in Deum charitate fuſiùs dicenda erant, paucis expediamus: quandoquidem iis rebus omnibus, quæ timori Dei tribuuntur, diuini amoris ratio contineatur. Nam mandata Dei exequi, in omnibus ex voluntate eius pendere, ad nutum ſe diuinum accommodare, in regnando ſummam æquitatem colere, honoribus non extolli, caduca iſta & fluxa bona, præ illius gloria contemnere; nihil ad ſua commoda, omnia ad Dei gloriam, & regni vtilitatem referre, incenſi amoris & ardentis in Deum pietatis indicium eſt. Quæ omnia, cùm in diuino timore ineſſe cognouerimus; ſatis liquet, explicato vtcunq; Dei timore, ipſos quoque amoris Dei fontes, in pectore Salomonis clauſos, apertos & patefactos eſſe. Ex quo ſequitur, eum qui timet Deum, Deum amare; & qui vehementer timet, vehementer amare. Ita arctis vinculis, vtrunq; gratia Dei copulauit. quanquam viceuerſa non ſemper ſequatur; illum qui amat Deum, neceſſariò Deum timere. Cùm nec in ſanctiſsimam Trinitatem, in qua diuinus infinituſq; amor eſt, nec in regni cæleſtis incolas, qui maxima charitate flagrantes, cum Chriſto vitam viuunt ſempiternã, nequaquam alicuius rei timor cadere poſſit. In quo amoris & timoris Dei diſcrimen cerni-

tur. Illud tamen certiſsimum eſt, in hac mortali vita, tantis vndequaque cincta malis & periculis, ſine timore Dei, vllum diuini amoris gradum, à nullo mortaliũ conſeruari poſſe. Spes enim, cùm ſit expectatio boni, cùm earum deſperatione rerum, quæ eam de conatu ſuo depellunt acerrimè confligit: & quò in maioris boni deſiderio reponitur; eò aduerſantia mala vehementiùs pertimeſcit. Quòd ſi ſapiens Salomon, maxima Dei gratia cumulatus, & ſingulari Dei beneficio, quaſi in penetralia amicitiæ Dei receptus, nihil de priſtino timore Dei remiſiſſet; ſed quantò maioribus Dei muneribus affectus fuerat; tantò Dauidis patris ſui conſilium ſecutus, maiori timore carnes ſuas confixiſſet, tantóque in profundiorẽ humilitatẽ animum ſuũ depreſsiſſet; nunquam profectò eum, nec mulierum venuſtas excœcaſſet, nec regni amplitudo de ſumma felicitate deturbaſſet. Hæc tu, SIGISMVNDE REX, diligentiùs tecum ipſe reputans, ita tacitus apud te ratiocinare, atque ita tuum animum ad magnum ſanctiſsimi numinis metum excita: Si Salomon Rex ſapientiſsimus, quod timorem Dei cuſtodem cæleſtis gratiæ & virtutum omnium à ſe remouiſſet, fœde turpiterque lapſus, grauiſsimæ idololatriæ ſcelere nomen ſuum contaminauit; quantò timore Domini & metu, omnes cupiditatum noxij motus mihi debilitandi

tandi ſunt atque frangendi? Atque & illa meditatione animum tuum ſtudiosè exerce: *Quantò magnus es humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam, quoniam magna potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur.* Eccl. 3. In illo etiam, ad quod Salomon afflatus ſpiritu Dei omnes mortales cohortatur, tu tibi mente & cogitatione ſemper manendum eſſe exiſtimato: *Deum time, & mandata eius ſerua. Hoc eſt enim omnis homo.* Eccl. 12. Denique à tui generis claritate, à regiæ dignitatis celſitudine, ad breuiſsimi iſtius temporis momentum, quo tibi hinc commigrandũ eſt, & ante illud tremendũ tribunal ſeueriſsimi iudiciis conſiſtendũ, accuratã conſiderationem ſæpiùs animum reuoca, illa precatione Dauidis Regis & Prophetæ, clementiam Dei humillimè appellans: *Confige timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui.* Pſal. 118. Nam etſi, quod optamus, & à clementiſsimo Deo ſummis precibus flagitamus, ad Neſtoris vel Mathuſalem annos vitam produxeris; hoc tamem totum tempus, quantumuis longũ appareat; ſi tamen cum æternitate conferatur, vix exigui temporis nomen obtinebit. Hæc via, SIGISMVNDE REX optime, eſt tutiſsima, & ad maiorẽ Dei gratiã conſequendã, & ad eas opes retinendas, quas tibi à clementiſsimo Deo, & patre Domini noſtri Ieſu Chriſti, copiosè & liberaliter conceſſas, gratulamur, & nobis gaude-

 mus.

mus. Quòd si aliquando Epicurus (qui à tua nobilissima aula absit longissimè) vel aliquis de illius grege porcus, te à tam salutari disciplina, ad laxatam curis æternæ vitæ, ducentemque ad interitum viam traducere conabitur, tibique persuadebit, vt te cum vana futilique hominum turba, quam sapientissimus Salomon, in suæ sapientiæ libris, tanquam
Sap. 2. impiam detestatur, rosis antequam marcescant corones, te totum iocis & lusibus tradas, te in voluptatum cœno immergas: tu protinus pro tua insigni pietate, REX serenissime, vultu, fronte omniq; ratione & modo, ostendito indigna hæc esse tua regia dignitate & præstantia: sitque illud tibi semper ratum & fixum, non esse Christiani & sapientis Principis, in quo natura ipsa, omnibus normam viuendi posuit: natura enim ita comparatum est, vt regis ad exemplum totus componatur orbis, leuissimo vento à virtute ad vitium, à luce ad tenebras, à laude ad ignominiam, & à salute ad perniciem rapi. Sed ad Salomonis diuinum amorem, illiusque magnitudinem redeamus. Habet autem hoc peculiare verus & syncerus amor; vt nulla re ab eo, quod sibi colendum proposuit, diuelli possit: in illo vno hæreat: vnum illud cogitet: illius semper desiderio ardeat: illud vnum in deliciis habeat: illius amicitiam semper expetat: illius gratia, omnia alia contemnat,

nat : in illius ſolius cultu omne ſuum ſtudium, curas,& cogitationes deponat. Verùm, cuius dicendi facultas ſummi amoris vim ita commodè explicabit; vt in iis paucis verbis, quæ Salomonis ſumma in Deum pietas & amor ex intimo pectore effudit, perſpicitur : *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum : quia fortis eſt, vt mors dilectio : dura ſicut infernus æmulatio : lampades eius, lampades ignis atque flmmarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpicet eam.* Quibus ſi illa alia ſummi amoris indicia addideris, quæ Salomon in amoribus ſponſi & ſponſæ mirificè expreſsit; an non tibi huius ſapientiſsimi Regis amor diuinus & pietas, ad Moyſis zelum, Eliæ feruorem, aliorumq́ue ſanctiſsimorum patrum extaſes, ad ipſumq́ue cæleſtis charitatis faſtigium peruenire videtur ? Neque verò exiſtimandum eſt, Salomonem in Canticis Canticorum, Chriſti tantùm ſponſi & ſponſæ Eccleſiæ, mutuum deſcripſiſſe amorem, illiuſq́ue magnitudinem. In Eccleſia enim, quam nomine chariſsimæ ſponſæ intelligit, ſeipſum comprehendit; & quod numine cæleſti afflatus, tanquam propheta prænunciauit; hoc in ſe ipſo, maxima Dei clementia, abundè expertus erat. Eſt enim Deus

Cant. 8.

ignis consumens, qui quamprimũ in alicuius pectus faces suę diuinitatis intulerit, continuò totum illius domiciliũ & sapientiæ splendore illustrat, & flãmis diuini amoris incendit. Scio Balaam antè aduentũ, & Caipham post aduentum Mesiæ prophetasse; vtrunque impium, vtrunque à charitate Dei remotissimum. Sed & illud non obscurum est, vtrunque diuina oracula ita frigidè ore suo effudisse, vt per illorum saxea corda, scelere & auaritia obfirmata, veluti aqua limpidissima per durum saxum, numinis diuini afflatus decurrisse videatur: *Oportet*, inquit impius Caiphas, *vnum hominem mori, ne tota gens pereat.* O saxeum cor! Si enim tanta charitas istius vnius hominis est; vt seipsum morti pro toto genere humano obiecerit; cur impiissime Caipha tam ardens flamma charitatis, tuum frigidum pectus non exurit? cur tantus ignis auaritiæ humorem non exsiccat? cur hoc, *oportet vnum hominem mori*, ita pronuncias, ac si immensa hæc Dei bonitas nihil ad te pertineat? Non ita Salomon de Christi charitate vaticinatur: non in feruentissimo amore Dei friget; sed cum prophetico spiritu, in cælum animo sublatus, amorem Iesu Christi sponsi in Ecclesiam intuetur, tanquam mollissima cera ad calorẽ ignis; sic ille ad immensam Iesu Christi charitatem, quasi liquefactus & dilapsus diffunditur, dulcissimo illo &

cæle-

cælesti vino in sponsi Iesu Christi horto, cum Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribus, aliisq; sanctissimis viris ebrius, noctu sponsum quærit, vigiles ciuitatis excitat, denique ardenti illo amore, quem in Canticis Canticorum, tot tamq; variis & appositis similitudinibus describit, & multò artificiosiùs, quàm laudatus Apelles pingendo potuisset, ob oculos ponit, se pectus sauciasse suum ostendit clarissimè. Verùm, ne aliquis hanc insignem charitatem Salomonis in dubium vocare possit, non obscurum extat in diuinis literis ea de re testimonium. Sic enim in libro Regum legimus: *Dedit quoque Deus Salomoni sapientiam & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quasi arenam quæ est in littore maris.* 3. Reg. 4 In quibus verbis, vt sapientia & prudentia diuersa sunt; ita latitudo cordis diuersum quippiam ab vtroque esse significatur. Cùm autem cor sit sedes amoris & affectuum domiciliũ; sequitur latitudine cordis, immensum Dei amorem Salomoni donatum fuisse. Ac ne subtilioribus argumentis interpretationem verbi quæramus, quid latitudo cordis significet, Dauid Propheta clarè nobis explicauit: *Viam*, inquit, *mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.* Itaque apud Dauidem dilatatio cordis causa est, vt non solùm mandata Dei exequamur, sed etiam in iis exequendis

curramus: quod quidem eſt indicium amoris ſingularis. Cæterùm, cùm ſine maxima charitate, nullus ad inſigne ſtudium, exequendi mandata Dei concitetur; cõſequens profectò eſt, dilatatione cordis, quæ cauſa eſt ſanctè & religiosè obſeruandæ legis diuinę, maximum in Deum amorem comprehendi. Iam verò, quæ maior latitudo cordis ea eſſe poteſt, quæ eſt ſimilis latitudini arenæ, quæ eſt in maris littore? Itaque, cùm ea ſimilitudo immenſæ charitatis inſignes nótas habeat, facilè intelligitur reliquas ſimilitudines, è quibus immenſa quædam charitas eminet, in illud ſtudium & ardorem amoris, quo Salomon in Deum erat affectus, conuenire. Conſtat igitur, eius amoris, quem Salomon erga Deum habebat, magnitudinem & vim admirabilem fuiſſe. Quanquam autem tanta vis amoris, donum potiùs, quàm alicuius rei cauſa videatur: clarum enim eſt, vnà cũ illa ſapientia, admirabili & inuſitata hanc immenſam cordis latitudinẽ Salomoni, non ante, ſed poſt humilem precationem donatã fuiſſe; certùm tamen eſt Salomonem, cùm illud ſapientiæ & amoris diuini donum à Deo poſtulaſſet, vt initium ſapientiæ, qui eſt timor Domini; ſic tantæ charitatis præclara principia & fundamenta habuiſſe. Non enim timor ſeruilis (vt vocant) qui eſt à charitate alienus, in diuina gratia, quam Salomon à Deo maxi-

maximam iniierat, homines reponit. Sed vt vt se res habet, constat charitatem hanc & summã sapientiã Salomonis, ingentis illius felicitatis, cuius erat admiratione Regina Saba obstupefacta, causam fuisse. Quam rem multa confirmant: inter quæ calamitosus & formidandus Salomonis casus, maximum & clarissimum est argumentum. Nam vt primùm ad cœca & insana mulierum lenocinia, Salomon diuinum amorem & timorem exuerat, è vestigio ex summa felicitate decidit. Adde, quod ipse præpotens Deus disertis verbis significet, insanum & obscœnum muliebrem amorem, propter quem Salomon legem Dei violârat, illius felicitatis ruinam edidisse. Apponam hoc loco ipsa sacrarum literarum verba, quæ apertè in charitate fontem gratiæ diuinæ constituunt: *Tu quoque*, verba sunt præpotentis Dei ad 2.Par.7.
Salomonem, *si ambulaueris coram me, sicut ambulauit Dauid pater tuus, et feceris iuxta omnia quæ præcepi tibi, & iustitias meas iudiciaq; seruaueris, suscitabo thronum regni tui, sicut pollicitus sum Dauid patri tuo, dicens: Non auferetur de stirpe tua vir, qui non sit princeps in Ismël. Si autem auersi fueritis, & dereliqueritis iustitias meas, & præcepta mea, quæ proposui vobis, et abeuntes seruieritis diis alienis, & adorueritis eos, euellam vos de terra mea, quam dedi vobis, & domum hanc, quam sanctificaui nomini meo,*
M *pro-*

proiiciam à facie mea, & tradam eam in parabolam, & in exemplum cunctis populis. Et domus ista erit in prouerbium vniuersis transeuntibus, & dicent stupentes: Quare fecit Dominus sic terræ huic, & domui huic? Respondebuntq́; quia dereliquerunt Dominum Deum patrum suorum, qui eduxit eos de terra Ægypti, & apprehenderunt deos alienos, & adorauerunt eos & coluerunt: idcircò venerunt super eos vniuersa hæc mala. Hæc diuinæ literæ, ex quibus luce clariùs patet, amorem Dei & pietatem, tantæ felicitatis Salomoni causã fuisse. Vnum est in quo aliquis admiratione suspensus, hærere posset. Non enim paruam res ea inducere videtur difficultatem: nempè quomodo charitas, quæ donũ est Dei, inter ea, quæ propria sunt homini, numeretur. Ob charitatem, Salomoni promittitur regni felicitas. At ea insignis charitas, donum Dei fuit, totaque gratia Dei nitebatur. Itaq; si donum Dei est, cur Salomoni, vt res quædam propria asignatur? Si autẽ illi propria est; cur donum Dei appellatur? Verùm ea est præpotentis Dei in homines liberalitas & clementia; vt ille ipse, qui nobis ob Iesu Christi effusum sanguinem gloriam immortalem donauit; is etiam gratiam, qua ad eam gloriam & immortalitatem vehimur, largè effuséque donârit: vt gratiam pro gratia haberemus. Quod cùm non ignorasset Salomon mu-

renu-

renulas aureas sponsæ à sponso factas fuisse, hoc est, omnia ea bona, quibus homines in amicitiam Dei recipiuntur, Iesum Christum sponsum animæ fideli contulisse commemorat. Atque hoc inter alia est, quod in Salomone, & magnam humilitatem, & charitatē, & pietatē in Deum excitabat. Videbat enim Salomon, nullum virtutis diuinæ opus, solius naturæ viribus gigni & contineri: videbat è contra, ea omnia, quæ gratiam Dei sua vi & dignitate ad se allicerent, ab ipsius liberalitate Dei proficisci. illud Salomonem in contemptionem & despicientiam sui deprimebat; hoc ad diuinum amorem excitabat. At, quem amorem? summum & admirabilem. Intuere, REX serenissime, quanto amore hic sapientissimus Rex, in Canticis Canticorum, prophetico spiritu afflatus, in sponsum Iesum Christum feratur? quomodo non interdiu tantùm, vbi pascat, vbi cubet in meridie, sed & noctu in suo lectulo eum quærat? quærat autem, ne vagari incipiat post greges sodalium: quomodo ciuitatē, illam, inquam, ciuitatem Dei, supra montem positam Ierusalem circumeat: per vicos & plateas currat, & inuentis vigilibus & custodibus ciuitatis, ex illis de sponso Iesu Christo percontetur? quanta voluptate se introductum in cellaria Regis sponsi gestiat? quanto gaudio à Sole iustitiæ Christo se esse coloratum exultet? quan-

Can. 1. Can. 4. Can. 4. Can. 4.

ta lætitia memor huberum ſponſi ſuper vinum incendatur? quomodo faſciculus myrrhæ dilecti ſui inter hubera illius commoretur? hoc eſt, quantum ardentiſsimæ charitatis vulnus Chriſti ſponſi ſanguine, ex huberibus illius pro ſalute hominũ effuſi, dulcedinem vini longè multumque ſuperantis, in pectore ſuo alat, & quam incenſo diuini amoris carpatur igni. Non percurro ſingula, ad aliqua tantùm Salomonis incenſi amoris in Deum indicia, admirandis ſimilitudinibus in Canticis Canticorũ adumbrata, digitum intendo. Tu pro tua, REX ſereniſsime, ſingulari pietate, ea diligenter apud te expende; & à ſponſo Ieſu Chriſto inuitatus, ingredere in hortum illius cum Salomone, aliiſque viris ſanctiſsimis, ac vino illo dulciſsimo, quod pro ſalute generis humani, ex ſuo latere hauſtum, tibi, omnibuſque ſuis chariſsimis propinat, inebriare; vt mero illo ſuauiſsimo ſopitus animum curis huius ſeculi languidum, quieti diuinæ tradas, domus patris tui, vt Regius Propheta admonet, obliuiſcaris: aurem tuam ad præcepta & conſilia diuina inclines; eaque ratione efficias, vt Rex Ieſus Chriſtus ſponſus, tantum decus & ſpeciem tuam concupiſcat. Multæ, vt in regia Salomonis, ita & in tua, REX optime, tanto honori, tantiſq; cæleſtibus bonis, ſtruuntur inſidiæ: multæ parantur fraudes: multi latent hoſtes.

Hîc

Hîc igitur animo opus eſt, hîc pectore firmo. Itaq; vt quondam *lectulum Salomonis*; ita nunc tuum, Cant. 3. REX ſereniſsime, *ſexaginta fortes ambiant ex fortiſſimis Iſraêl: omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi: vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum, propter timores nocturnos.* Ita hoſtium latentes inſidias opprimes; eorumque conatus, motuſque, omnes in tuæ iſtius tam diuinæ felicitatis perniciem paratos, prohibebis.

Reliquum eſt, vt de Salomonis ſtudio, quo in augendo illuſtrandoque cultu diuino affluebat, breuiter dicamus. Poteſt autem facilè intelligi, quàm ardens ſtudium ad propagandam Dei gloriam, ex tanto Salomonis & timore & amore diuino extiterit. Vt enim ij, quos ſpiritus malignus proculà pietate Chriſtiana abripuit, omnia, quæ Chriſti Domini gloriam extollunt, populantur, vaſtant, euertunt; ſic quantò alicuius feruentior amor in Deum fuerit, tantò maiori ſtudio, ad amplificandam Chriſti gloriam, incitatur. Tria autem ſunt potiſsimùm, in hoc Salomonis diuino & externo cultu (de hoc enim nunc agemus) ad quæ ceu quædam capita reliqua facilè reuocari poſſunt: templi ædificium, victimæ, ſacerdotum ordo & dignitas. In quibus omnibus admirabilis quædam pietas Salomonis lucet ſplendetque. Ac primùm ad ædificium templi animum

conuertamus. Cûm autem in omni magnifico ædificio, duo illa imprimis intuentium oculos admiratione tenere soleant, materia & forma ædificij; hæc eadem nos spectabimus in templo Salomonis; nempè quàm præclara sit illius materia, & quàm pretiosa; tum quæ illius sit forma & figura, quàm ampla, & quo artificio, & quàm affabrè tam illustri materiæ coaptata. Ingrediamur igitur templū illud amplissimum Salomonis, & ipsum spiritum sanctum, in libris Regū & Paralipomenon, quasi nos manu ducentem, & immensas illas opes, aurum, argentum, lapides, gemmas pretiosas, digito nobis monstrantem, intueamur. In libris Paralip. tale numinis diuini legimus testimonium, de materia & ornamentis domus Domini: *Decauauit eam intrinsecus auro* 2.Par. 3. *mundissimo: domum quoque maiorem texit tabulis ligneis abiegnis, & laminas aureas obrizi affixit per totum. Strauit quoque pauimentum templi pretiosissimo marmore decore multo. Porrò aurum erat probatissimum, de cuius laminis texit domum, & trabes eius, & postes, & parietes, & ostia, & cælauit Cherubim in parietibus.* & paulò post: *Sed & clauos fecit aureos, ita vt singuli claui siclos quinquagenos appenderent. Cœnacula quoque texit auro.* Longum esset singula numerando percensere, altare aureum, Cherubim maximos auro tectos, candelabra cum lucernis suis, floren-

florentia lilia, forcipes, thymiateria, thuribula, phialas, mortariola, omnia de auro purissimo fabrefacta. Verùm auri & argenti, quo templum Salomonis abundabat copiam, ex his verbis Dauidis Regis æstimari licet: *Ego*, inquit, *totis viribus meis præparaui impensas domus Dei mei. Aurum, ad vasa aurea: & argentum, ad argentea: æs, in ænea: ferrum, in ferrea: ligna, ad lignea: & lapides Onychinos, & quasi stibinos, & diuersorum colorum, omnemq; pretiosum lapidem, & marmor Parium abundantissimè, & super hæc quæ obtuli in domum Dei mei de peculio meo, aurum, & argentum, do in templum Dei mei, exceptis his, quæ præparaui in ædem sanctum, tria millia talenta auri de auro Ophir, & septem millia talentorum argenti probatissimi, ad deaurandos parietes templi, & vbicunque opus est aurum de auro, & vbicunque opus est argentum de argento, opera fiant per manus artificum.* Sed non satis erat sanctissimo Dauidi Regi, sua in ornamentum templi elargiri, nisi etiam ad simile factum alios principes viros excitasset. Audi obsecro religiosum Dauidem inuitantem satrapas suos: *Et si quis*, inquit, *sponte offerunt, impleat manum suam hodie & offerat, quod voluerit Domino. Polliciti itaq; sunt Principes familiarum & proceres tribuum Israël; Tribuni quoque, & Centuriones, & Principes, principum possessionum Regis dede-* 1. Par. 29.

constet ex diuinis literis, & ad præstantissimum finem, & à præstantissimo artifice excogitatã & designatã fuisse. Non enim eam Policletus,& Phidias statuarij excellentes: non Apelles & Zeuxis pictores præstantes: non denique ipse Dædalus in excogitandis labirynthis celeberrimus; sed ipsemet præ potens Deus, omnium sapientissimus architectus effinxit, & Dauidi Regi designauit. Id ipsius Dauidis verba declarant: *Omnia*, inquit, *venerunt scri-* 1.Par.28
pta manu Domini ad me, vt intelligerem vniuersa opera exemplaris. Atque hanc quidem præstantem formam, non exiguo alicui tecto angustóque tugurio, sed amplissimo augustissimóq; palatio coaptatam fuisse, apertè satis declarat Salomon: *Opus*, inquit, 2. Par. 2.
grande est; neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo. & in libro Paralip. *Domus enim quam ædificare cupio, magna est: magnus enim est Deus noster, super omnes deos. Quis ergo poterit præualere, vt ædificet ei dignam domum.* & paulò pòst: *Domus enim quam ædificare cupio, magna est nimis & inclyta.* Iam verò amplissimam templi formam spectantibus multis in locis sese nobis offert pietas Salomonis. Primùm quia à præscripto præstantissimi architecti exemplari,ne transuersum quidem vnguem sibi discedendum esse putauit; sed totam illam formam templi, ab ipso Deo summo architecto factam, in-

tentos oculos, acremque animum in illius speciem defigens, ad eamque manum artificis dirigens, maximo conatu in sui templi ædificium deduxit. Deinde, quia & præstantissimos & plurimos artifices, ad illud extruendum & illustrandum templum vndique conquisiuit. Eorum numerus & multitudo ex
2. Par: 3. eo cognoscitur: *Fecit ex eis septuaginta millia, qui humeris onera portarẽt, & octoginta millia, qui lapides de montibus cæderent; tria autem millia & sexcentos præpositos operum populi.* Quoniam verò artifex ab inscio non distinguitur, si artẽ subtraxeris; eamobrẽ artificum Salomonis præstantiã, opus & artificium illustrabit. Et in arte quidem sculpendi & pingendi, quæ vt reliquæ disciplinæ & artes in naturæ imitatione consistit, illud primum & maximum est: in mutum simulachrum res ad viuum imprimere. In eo genere excelluerunt duo pictores celeberrimi, Parasius & Zeuxis: hic, vt refert Plinius, vuas pictas tanta dexteritate & artificio in theatrum detulit, vt in scenam aues aduolarent: quas deinde Parasius linteo picto, ita veritatem exprimente texerat; vt ipse Zeuxis ad vuas suas in scenam reuersus, flagitaret remoto linteo picturam ostendi. Ergo & pictores & statuarios non paucos habuit Salomon, qui artis præstantia, Zeuxim & Parasium, aut superarunt, aut certè adæquarunt: propterea

quòd

quòd tanto artificio templum illud amplissimum, vndique imaginibus exornârint; vt non tam imagines, quàm res ipsas, quarum erant imagines, admirabili ingenio oculis hominum subiecerint. Expende illud quod de pictoribus, libris Regum, conscriptum est: *Sculpsit quoque in tabulatis illis, quæ erant* 3.Reg.7.
ex ære, & in angulis Cherubim, & leones, & palmas, quasi in similitudinem hominis stantis; vt non cælata, sed apposita per circuitum viderentur. Quid illud? *Non est opus tale in vniuersis regnis.* Effectus certè 3.Reg.10
causæ excellentiam in lucem profert, & ars artificis industriam. Quod cùm ita sit profectò concludendum est, in vniuersis regnis nunquam similes artifices extitisse. Nihil inane literæ diuinæ continent: cùm illarum iota & minimus apex, Christi Domini testimonio, maximum habeat pondus. Tale autem de industria & artificio Hiram, libri Regum dant testimonium: *Misit quoque Rex Salomon, & tulit* 3.Reg.7.
Hiram de Tyro, filium mulieris viduæ, de tribu Nephtali, patre Tyrio, artificem ærarium, & plenum sapientia & intelligentia & doctrina, ad faciendum omne opus ex ære. Ergo cùm ex diuinis literis habeamus Hiram pictorem & sculptorem præstantissimũ fuisse, plenum sapientia & intelligentia: plenum autem id dicatur cui nihil potest accedere; profectò sequitur necessariò, nec Parasij, nec Zeuxis, nec

Calcoſtenis, nec Niciæ, nec Paraxitellis, pictorum præſtantiſsimorum; nec denique illius Demonis Athenienſis, qui duobus illis à ſe pictis Hippolitidibus, quorum alter in certamine ita decurrit, vt ſudare videatur, alter arma deponit vt anhelare ſentiatur, excellentium pictorum artem obſcurauit, induſtria admirabili, ex nobiliſsimi artificis Hiræ ſapientia aliquid aut decerpi, aut addi poſſe, ad illius perfectionem & diuinam pingendi ſculpendique artem. In his igitur omnibus præſtantiam templi Salomonis non malè cernere licet. Nam vt res ex cauſis; ita ex cauſarum dignitate rerum excellentia exoritur: atq; ideò quo cauſæ rei ſunt excellentiores; eò cauſarum effectus pręſtantiores eſſe neceſſe eſt. Quid igitur hoc tẽplo auguſtiùs fingi aut cogitari poteſt: quod ad eum finem ædificatũ erat, vt ipſe Deus in eo ſedem ſuam poneret; & quemadmo dum in cælo à ſanctorum & angelorum choro; ita in terra ab hominibus coleretur? Deinde in quo aurũ, argentum, lapides pretioſi, materiæ locum tenuerunt? Ad extremũ, quod admirabili forma & prorſus diuina, nempè à Deo ipſo deſignata, tot eximij artifices illuminarunt & exornarunt; adeò ad exemplar illud cælitùs demiſſum accommodatè, vt cæleſtis templi & palatij amplitudinem, ipſius diuinitatis ſplendore illuſtratam, ciuium ſanctorum dignitate

& ho-

& honore amplificatam,& innumeris ſtellis & ſideribus lucentem referre videretur. O Salomonis pietatem ſingularem! Quam procul ab ea pietate Salomonis, noſtrorum hominum ſtudia diſtant? quid dico diſtant? imò verò quàm acri & immani bello cum ea Salomonis pietate diſceptant? Salomon enim domum Domini, auro & argento exornat: iſtî contra, auro argentóque domum Dei expoliant. Salomon domum Domini egregiis picturis, ſtatuis, & imaginibus locupletat: iſti ècontra, hæc omnia in domo Domini demoliuntur, confringunt, comminuunt. Salomon domum Domini prægrandem, amplam, & inclytam ædificat: iſti contra, amplam & inclytam domum Domini conuertunt in tugurium deſertum,expilatum,prophanatum. Sed hæc in hæreticis ſunt tolerabiliora. Si enim ipſius præpotentis Dei, ſanctiſsimum numen violarunt; minus videri debet,cùm ſedem illius conuellunt,& exſcindunt. In catholicis autem hominibus, vt leuiſsimo verbo dicā ea ſocordia & ſegnities vehementer deploranda, & execranda videtur:qui doctrina S. Eccleſiæ Romanæ & Apoſtolicæ imbuti cùm certò apud ſe ſtatuant, Deum ipſum præpotentem, arcamque illam cæleſtē, non manna,ſed verùm Ieſu Chriſti corpus & ſanguinem continentem,in templo Catholico habitare; eos tamen de tuenda dignitate

& decore domus Dñi minima cura attingit. Quid facis ô homo Christiane? Dei domum hanc esse certò tibi persuades: in illo etiã non hæres, omne decus & ornamentum deberi domui Domini: cur igitur non vt domũ Dei tui, tibi excolendã esse arbitraris? Quæ (malum) est ista amentia? Existimare inclytam & amplissimam domum glorioso Deo deberi; & tamen vile tugurium illi assignare? Dauidis & Salomonis præstantissimorum Regum pietatem in exornando & locupletando templo probare, & in cælum attollere; & tamen ad simile factum minimè permoueri. Sed hoc fortasse minus tibi videbitur. Sin autem eo peruenisti, vt impietati & hæretico furori, patrimonium Iesu Christi dissipare, & deuorare cupienti, studio & authoritate non obsistas: remissè hîc & moderatè agas, aut quod scelestius est, aurum, argentum, & reliqua bona, à maioribus tuis, sanctè & religiosè diuino cultui dicata, templo Dei detrahere coneris; hoc verò quid aliud est, quàm Dionysij tyranni in expilandis templis impietatem imitari? Qui, quum, vt Cicero refert, ad Peloponnesum classem appulisset, & in fanum venisset Iouis Olympij, aureum illi detraxit amiculum grandi pondere, quo Iouem ornarat, ex manubiis Carthaginensium tyrannus Gelo. atque in eo etiam cauillatus est, æstate grauem esse aureum amiculũ, hyeme

Lib. 3. de natura Deorum

hyeme frigidum,eiq; laneum pallium iniecit: quum id esse aptũ ad omne anni tempus diceret. Ideq; Æsculapij Epidauri barbam auream demi iussit. neque enim conuenire barbatum esse filium,quum in omnibus fanis pater imberbis esset.Facetè satis Dionysius, in Deos suos est debachatus. Atq; hoc quidẽ illi ex ea parte condonandũ esse videtur: quòd cùm sciret Iouem & Æsculapiũ stipitem & truncum fuisse, nullum facinus se in diuinum numen admisisse existimârit. Tu verò Christiane homo, an Dionysij lepôre & facetiis captus,in Christianę religionis ruina ita tibi facetus & salsus videri voles? an patrimoniũ Iesu Christi, vt Iouis Olympij aureum amiculũ esse reputabis: & pro aureis vestibus,laneum palliũ Iesu Christo iniicies? an vt in auream barbam Æsculapij,sic in ornamẽta & opes Iesu Christi sponsę Ecclesiæ inuolabis? & non solùm salibus Dionysij, ad ignominiã Religionis Christianę abuteris; sed etiã ipsius Iesu Christi potentiæ, & authoritati, cum Iudæorum carnificibus sceleratis, qui authorem vitæ, suis vestibus expoliatum, immanissimè flagris ceciderunt, illudes? Quid igitur tibi reliquum in summa ista insolentia extremæ impietatis fecisti; nisi vt cum illa scelerata Iudæorum turba Pilato, an Regem Iudęorum cruci affixurus esset,percontanti,respondeas? *Non habemus Regem*, intellige Christum

Domi-

Dn̄m, *nisi Cæsarem?* aut certè, si Christianus esse vis & id quod res est fateri: dignū te esse, nisi ad saniorē redeas mentē, iudicabis, quem iustissimus Deus acer rimus scelerum vltor, fulmine percutiat, & in orcum detrudat. Quæro enim ex te, qua fronte templū Dei tua opera lacerum, spoliatum, ruinosum, ingredi audebis & Deum iniuria, & recenti vulnere diuino illius honori inflicto lacessere & irritare? Explica atque excute intelligentiam tuam, & ad punctum temporis sobrij Christiani, cuius viua fides vitam & actiones moderatur, cogitationem suscipe. Ante omnia autem illud de diuina præstantia & natura, diligentissimè tecum expende; Deum omnia intuentem, in templo habitare, scelus & impietatem detestari: maximè verò eos, qui Gigantum more illi bellum inferunt, grauissimis mulctare pœnis. An non Bethsamitas Arcæ fœderis vim inferentes, pestiferis & funestis morbis affecit? Ozam Ahio filium Arcam Domini tangentem trucidauit? impium & superbū Antiochum, qui templum Dei expiliârat misero diuturnóque morbo tabescentem interemit, & in Plutonis horridum carcerem præcipitauit? Atqui Oza ad arcam manum admouit, non vt eam expilaret; sed vt labentem sustentaret. O acerrimum sacrilegi sceleris vltorem Deum! Si enim ij, qui leuiter honorem Dei offendunt, grauissimas luunt pœnas;

quæ

quæ ſupplicia ſacrilegis & ſceleratis hominibus cõſtituta eſſe arbitraris? Quomodo igitur altaris Domini præda onuſtus, templum ingredi, & os tuum illi oſtendere audebis? Qua ratione in animum inducere potes, te ab eo gratiam inire poſſe, quem certò ſcis, tantopere ſacrilegis eſſe iratum? An eum exiſtimas, beneuolentia complecti templa expilantes; qui de templo eiecit vendentes? Sed te iam pœnis non terrebo. Nam generoſus animus, magis clementia & benignitate flectitur. Quid igitur? an te maxima Dei clementia, quam Ieſus Chriſtus generis humani Seruator, in templo defixit, non commouebit: & in amplificandum illius diuini numinis cultum incitabit? Quid enim putas, in illo altari arca illa contineri? An tibi parum videretur, ſi virgam Aaronis, & manna illud cæleſte, quæ duo ad magnam, non Obededom ſolùm, ſed etiam totius Iſraëlis felicitatem, maxima Dei beneficia ſæpiùs adiunxerunt, contineret? Atqui hîc maius quidam eſt & diuiniùs. Non enim arca illa manna cæleſte; ſed Ieſu Chriſti corpus: non virga Aaronis, gerens crucis Chriſti figuram & typum; ſed ipſemet filij Dei ſanguis, pro vniuerſo genere humano in ara crucis effuſus, continetur. Hoc verò cuius tandem eſt benignitatis & clementiæ, cùm in hoc eodem templo à te expilato, idem Ieſus Chriſtus tibi ſuum corpus

porrigit, cùm tibi ſanguinem ſuum propinat, & te tam admirabili cibo & potu, recreare cupit: deniq; vitam & immortalem felicitatem, ſi modò tibi ipſi deeſſe nolis, tibi donare, eſt paratus? O immenſam Dei liberalitatem! ô inauditam Dei clementiam! Sed quod tam durum & ferreum pectus eſſe poteſt, quod tanta clementia Dei non emolliat? aut quis eſt adeò fero & agreſti animo, quem tanta bonitas Dei, non leniat? aut quæ tanta cupiditatis & auariciæ ſitis, quam ita redundantia ac ſuperfluentia diuinæ clementiæ flumina non extinguant? Nihil dicam amplius. Quid enim amplius dici poteſt? Si enim ſanguis pretioſiſsimus, qui ex latere illius profluens, Solem obſcurauit: cœcos illuminauit: velum templi ſcidit: petras diſſecuit: ſepulchra aperuit: mortuos ad vitam excitauit: animum durum & ſcelere & auaricia obfirmatum non commouebit; an aliquid in natura rerum reperietur, quod tam graui & inueterato malo medicinā afferre poterit?

Venio nunc ad victimas Salomonis, in quibus etiam non minorem pietatem Salomonis perſpiciemus. Duo autem oblationum genera vetus illa lex habebat: alterum ad ornatum templi ſpectans; victimarum alterum: in quo multæ ſunt diuiſiones. quarum cognitio, quoniam ad præſens inſtitutum parum attinet, ideò ea tantùm hîc ſpectabimus, quę

Salo-

Salomonis pietatē mirificè commendabunt. Et de primis quidē oblationibus, paulò antè dixi, cùm explicarem quantum auri & argenti ad ædificandū & exornandum templum Salomon attuliſſet: hæ autē aliæ quantę quamq; multæ fuerint, breuiter ex libris Paralipomenon commemorabo: *Mactauit igitur* 2.Par.7.
Rex Salomon hostias boum viginti duo millia, & dedicauit domum Dei, Rex & vniuerſus populus. Et cap.5. *Rex autem Salomon, & vniuerſus cœtus Iſraël, & omnes, qui fuerant congregati ante arcam, immolabant arietes & boues, abſq; vllo numero. Tanta erat multitudo victimarum.* Quod verò eius generis victimæ ſæpiùs Deo offerrentur, ex his perſpicuū eſt: *Tunc obtulit Salomon holocausta Domino ſuper altare, quod extruxerat ante porticum, vt per ſingulos dies offeretur in eo, iuxta præceptum Moyſis, in Sabbathis, & in Calendis, & in feſtis diebus.* Iam verò has victimas non vulgares fuiſſe, admiratio Reginæ Sabæ maximo eſt argumento. Hæc enim non ſolùm in ædificiis templi & palatij, & id genus aliis rebus; verùm etiam in ipſis victimis, ſapientiam & pietatem Salomonis eſt vehementer admirata. Sed ea vis & multitudo victimarum, ex ſacris literis clariùs apparebit: *Quæ poſtquam vidit ſapientiam ſcilicet Salomo-* 2.Par.9.
nis, & domum quam ædificauerat, necnon & cibaria menſæ eius, & habitacula ſeruorum, & officia mini-

ſtrorum eius & veſtimenta eorum, pincernas quoque & veſtes eorum, & victimas quas immolabat in domo Domini, non erat præ ſtupere vltra in ea ſpiritus. Percurro ſingula. Sunt enim eiuſmodi,vt contenta doceri, omnia ornamenta reſpuant. Quid enim maius? quid auguſtius? quid magnificentius his victimis eſſe poteſt: quæ in tantam admirationẽ Raginam Sabam rapuerunt; vt ei ſpiritum ademiſſe viderẽtur? Age verò cum victimæ,quo promptiore & alacriore animo offeruntur; eo Deo Opt: Max: ſoleant eſſe gratiores; quis non intelligat ex ea ſignificatione gratiæ ſingularis,à clementiſsimo Deo in Salomonem hoſtias immolantem profecta, tantã ſapientiſsimi Regis charitatem,& concitatum,in eo genere pietatis adDei laudem illuſtrandam,ſtudium pondus habuiſſe; vt in illa Critolai lance, quæ ſua grauitate terram & maria deprimebat,poſitum eſſe videretur. Hæ igitur ſunt victimæ Salomonis, ac earum multitudo & præſtantia.

Reſtat Sacerdotij dignitas, quæ quo loco apud Salomonẽ fuerit, iis omnibus eſt notiſsimũ, quibus pietas Regis ſapiẽtiſsimi, & ratio victimarum, nota atq; perſpecta eſt. Ea enim omnia, quæ Iſraëliticus populus Domino offerebat,ad vſus vitę neceſſarios, idem liberaliſsimus Deus Sacerdotibus,in libris Numerorum aſsignauit. Sed ea ipſa Dei Opt: Max: in Sacer-

Sacerdotes munificentia, sacrarum literarum testimonio clariùs apparebit. Sic enim in libris Numerorum habetur: *Locutusq; est Dominus ad Aaron: Ecce dedi tibi custodiam primitiarum mearum. Omnia quæ sanctificantur à filiis Israël, tradidi tibi & filiis tuis, pro officio Sacerdotali legitima sempiterna. Hæc ergo accipies, de his quæ sanctificantur, & oblata sunt Domino. Omnis oblatio, & sacrificium, & quicquid pro peccato atq; delicto redditur mihi, & cedit in sancta sanctorum, tuum erit & filiorum tuorum: In sanctuario commedes illud.* & paulò pòst: *Omnem medullam olei, & vini, ac frumenti, quicquid offerunt primitiarum Domino, tibi dedi. Vniuersa frugum initia, quæ gignit humus, & Domino deportantur, cedunt in vsus tuos: qui mundus est in domo tua, vescetur eis. Omne quod ex voto reddiderint filij Israël, tuum erit.* Mitto reliqua, ex his enim satis liquet, nihil clementissimum Deum ex victimis & oblationibus prætermisisse, quod non liberalissimè in Sacerdotum vtilitatum conuerterit. In eo autem maxima quædam Sacerdotum dignitas elucet. Cùm enim in victimarum dono & munere, maximus insit honor: cultus enim latriæ hostiis & victimis continetur; sequitur profectò, cui donantur victimæ, eidem maximum & diuinum tribui concedique honorem. Atque hæc quidem consecutio diuinum quendam Num. 18.

honorem, Sacerdotali dignitati adiungens, non ex mea officina, ſed ex ipſius D. Pauli ſapientia profe-
Heb. 7. cta eſt; qui in epiſtola ad Hebræos, ex eo quòd Abraham Melchiſedecho Sacerdoti decimas dederit, tãquam firmiſsimo argumento, concludit, Melchiſedechi maximam præſtantiam & dignitatem. Audi obſecro ipſum D. Paulum, Melchiſedechum Sacerdotem laudibus ornantem: *Hic enim Melchiſedech Rex Salem Sacerdos Dei ſummi, qui obuiauit Abrahæ regreſſo à cæde Regum, & benedixit ei: cui & decimas omnium diuiſit Abraham.* Quomodo autem has eaſdẽ laudes, neruis conſequentiæ inſerat, paululum conſidera: *Intuemini*, inquit, *quantus ſit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha.* Quot gradus in vna decima laudis & honoris? Primùm enim maximis Melchiſedechi laudibus, decimarum cenſum annumerat. Deinde poſt benedictionem à Melchiſedecho Abrahamo factam decimis locum deſignat. Tertio, in his laudibus ſæpiùs meminit decimarum: quinquies enim ad minimum. Quòd ſi eos conſulas, qui præcepta rei alicuius exaggerandæ tradunt, inuenies in munere decimarũ, aut primam ineſſe laudem Melchiſedechi, aut certè ex præſtantiſsimis non poſtremam. Præterea Abrahamũ Patriarcham decimas pendiſſe dicit: *Cui*, inquit, *& decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha.*

archa. ac si apertiùs dicat, non solùm eum decimas pendisse quatenus Abrahamus esset;sed etiam quatenus esset Patriarcha. Adde & illud,quod non solùm decimas dederit, sed etiam de præcipuis dederit. Ad extremùm, consequentiam laudis Melchisedechi ex decimis petitam, cum admiratione quadam effert; vt tali dicendi forma ostenderet, admirandum esse Melchisedechum, cui decimas penderit Abrahamus Patriarcha. Quid igitur? an à Christiano homine in dubium vocari potest;cui decimæ & victimæ tribuuntur; ei maximum & diuinũ quendam honorem impendi? Cùm igitur Salomon, innumeras & præstantissimas victimas,& hostias,cæteraque dona Deo imprimis, deinde Sacerdotibus obtulerit; an non constat,eum maximum honorem Sacerdotibus habuisse? Ergo illam summam & inusitatam admirationem Reginæ Sabæ, in sapientia & pietate Salomonis mentem & cogitationẽ defixam habentis, non solùm victimarum & hostiarum magnitudo, sed etiam Sacerdotalis dignitatis præstantia commouit. Quid? an non & illa maximam honoris Sacerdotalis rationem habent? omnes Sacerdotes,qui sub id tempus in Israële reperiebantur ad Regem Salomonem confluunt: Sacerdotum fidei thesauri templi cõmittuntur: domus Dei habitatio assignatur: arca fœderis,quam principibus viris at-

3.Reg.4. ris attingere nefas erat,ab illis portatur:Azarias,filius Sadoc ſacerdotis,primus princeps Iſraëlis nominatur: Sadoc & Abiathar ſacerdotes, inter primos principes Salomonis numerātur: inter omnes principes vnus Zabud filius Nathan Sacerdos, amicus Regis Salomonis appellatur. Sed illud longè mihi maximū videtur: quòd ipſemet Deus clemētiſsimus victimas & omnes hoſtias, ſuo diuino honori dicatas,in libris Numerorū Sacerdotibus aſcribat. aſcribat autem magna cum beneuolentia & dignitate. Quid enim? an non ea ratione perſpicuū eſt,Deum benigniſsimum, quaſi diuiſum imperium & honorē cum ſacerdotibus habere voluiſſe?O inauditam Dei clementiam! ô Sacerdotum dignitatem diuinam & admirabilem! Quid enim præſtantius rerum omnium authoris Dei imperio & dignitate? Ac ne is honor à ſingulari virtute diuina abeſſe videatur,muneri & officio Sacerdotali ſummam impoſuit poteſtatem. Nam portare populi errata, Dei munus eſt proprium. Hoc enim Chriſto Deo Iſaias Propheta munus aſsignauit: *Vere*, inquit Propheta,*languores*
Iſaiæ 53. *noſtros ipſe tulit,& dolores noſtros ipſe portauit.*& paulò pòſt: *Pro eo quòd laborauit anima eius, videbit & ſaturabitur: In ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit.* Atqui munus portandi peccata imponitur Sacer-

dodibus

dotibus, in libris Numerorum, ſatis apertis verbis id declarat Moyſes: *Dixitq; Dominus ad Aaron: Tu* Num. 18.
& filij tui, & domus patris tui tecum portabitis iniquitatem ſanctuarij. Adde & illud, quod etiam plurimùm exaggerat dignitatem Sacerdotij: *Excubate,* alloquitur eoſdem Sacerdotes Dominus, *in custodia ſanctuarij, et in miniſterio altaris: ne oriatur indignatio ſuper filios Iſraël.* Ergo in vigilia & cuſtodia Sacerdotij tantùm ſitum eſt; vt omnia iræ diuinæ tela à populo Iſraëlitico auertat. Incredibilia hęc prorſus viderentur, niſi ea diuinis literis ad perpetuam memoriam eſſent conſignata. Atque illa quidem Dei clementia, qua Deus Opt: Max: Salomoni bis ſeſe oſtendit, & illum, familiariſsimè cum eo locutus, immenſa beneficētia cumulauit, maximo honore & dignitate Sacerdotium in cælum effert. Hoc enim tantum & admirabile beneficium, poſt litatas hoſtias, & victimas, apud Salomonem poſuit munificentiſsimus Deus. Nimirum ea ratione omnibus teſtatum eſſe voluit: immenſa beneficia, quale illud fuit ſuam diuinam gloriam Salomoni oſtendere, nō niſi victimis & oblationibus, quæ manibus Sacerdotum cōficiūtur, à Deo in homines peruenire. Quid igitur mirum Salomonem ſapientiſsimum, qui ſuis momentis omnia ponderare nouerat, innumeris oblatis victimis, primùm Deo, deinde Sacerdotibus maximum honorem habuiſſe?

Hîc ego iam Salomonis laudis & gloriæ immensum quasi pelagus præteruectus orationis meæ vela contraherem, teq; REX serenissime, exemplo huius sapientissimi Regis, ad summas religionis Christianæ virtutes vehementer incitatum, paucis verbis cohortatus, finem dicendi facerem. Sed quoniam hoc nostro infelici æuo, Sacerdotij munus amplissimum ita concidit; vt in hominum nostrorum æstimatione, vix illius honoris vmbram teneamus; eamobrem nonnihil adhuc in eius amplitudine explicanda immorabor. Te autem imprimis, REX serenissime, pro meo Sacerdotali officio admonebo, teque pro mea tibi debita obseruantia, & egregia in tuam amplitudinem voluntate obsecrabo, obtestaborque; vt tanquam Rex sapientissimus, belliq; Imperator solertissimus, imprimis eam regni partem tibi tuendam esse proponas, in qua maxima illius salutis & incolumitatis præsidia diuinitùs posita esse animaduertis. Quis autem non videt illud summum in Repub. esse, quo diuinæ gratiæ, sine qua nec Reges regnant, nec imperia consistunt, fontes concluduntur? Nam illud D. Pauli: *Gratia Dei sum, id quod sum*, in omnes omnium temporum homines conuenit. Gratia enim Dei, omnes viuimus, mouemur, & sumus. At omnem suam gratiam in meritis vnigeniti Iesu Christi Domini nostri, eiusque sa-

1. Cor. 15.

que sacrosancto sanguine conclusit Deus. Nam vt cum D. Paulo loquar: *Omnia penè in sanguine secundùm legem mundantur: & sine sanguinis effusione non fit remissio.* Hebr. 9. Cùm autem arcam illam,& sanctuarium, præter Sacerdotes, alium quempiam attingere, scelus sit grauissimum; quis non intelligit, euersa dignitate sacerdotali, totam Rempub. labi & cōcidere? Ex his itaq; in eum modum ratiocinari homines Christiani debent. Si Salomon Rex sapientissimus Sacerdotibus legis Mosaicæ tantum honorem habuit; quanto in pretio Christianis hominibus,imprimis autem Regibus & Principibus Sacerdotes Iesu Christi esse debent? qui non sanguinem taurorum & vitulorum, sed Iesu Christi corpus & sanguinem,pro vita & salute hominum,Deo clementissimo offerunt: qui non ad sancta sanctorum; sed ad ipsum cæleste regnū aditum patefaciunt & præcludunt: qui denique non sacramentis veteris legis typum & figuram corporis & sanguinis Iesu Christi gerentibus; sed ipsius filij Dei corpore & sanguine; quo sub Sole, & suprà Solem, nihil est maius, nihil præstantius,nihil diuinius,homines Christianos pascunt. Atque hæc quidem consequentia adeò firma est & efficax; vt eam ipsi Ecclesiæ Dei hostes hæretici pondere illius oppressi, non refellant; sed ad eneruandum Iesu Christi Sacerdotium ex eo, quod

omnibus Catholicis in confeſſo eſt, variis cuniculis elabi contendant. Alij enim Catholicæ & Romanæ Eccleſiæ Sacerdotes, negant eſſe Ieſu Chriſti Sacerdotes: alij ex inſtitutione cœnæ Domini ſacrificium detrahunt: alij vi quadam & energia corpus Ieſu Chriſti & ſanguinem ex Euchariſtia tollunt: alij à veritate corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti, ad Iudæorum figuras & typos reſiliunt; & potius eſſe ducunt, gradum ad Iudaiſmum & Atheiſmum facere, quàm tantum Sacerdotio Ieſu Chriſti honorem deferre. Adeò aciem hæreticorum opibus & patrimonio Ieſu Chriſti inhiantium, Sacerdotalis honoris ſplendor perſtrinxit. Verùm ego hoc loco, hoſce craſſos & pernicioſos errores hæreticorum non refutabo. Satis illud nunc erit: in ea conſequentia, maximam vim ineſſe ad augendã Sacerdotij Ieſu Chriſti dignitatem. Quod, cùm ita ſit, profectò Chriſtianis Principibus deliberandum non eſt; an Sacerdotio Ieſu Chriſti maximus honor ſit decernendus; ſed in eo elaborãdum; vt eorum authoritas, quibus ipſe Deus Opt: Max: omnium humanarum atq; diuinarum rerum apicem, in Romano Petro ita impoſuit; vt hoc principe, ex illis pendeant, & ad illos redeant vniuerſa, in priſtinam dignitatem, veteris Ieſu Chriſti Eccleſiæ legibus & inſtitutis corroboratã reſtituatur. Et quoniam, vt in corporis ita in animi

morbis,

morbis contraria contrariis curantur; eamobrem diligentiùs inueſtigandum eſt, quibus principiis tāta religionis Catholicæ lues in Poloniam irrepſit;vt cognita morbi natura, tibi imprimis optimo Regi ſingulari ſtudio in amplificandam Ieſu Chriſti gloriam inflammato, ſalutarem medicinam indicaret. Sed non eſt difficilè diligentiùs perquirentem omnia, in eius rei cognitionem venire. Principium enim tanti mali, ab illa vulpecula Eſopi fabulis celebrata, exortū eſt. Non tibi hoc mirum, aut ridiculum videatur, REX ſereniſsime. Non enim res ea cachinno, ſed magna commiſeratione eſt digna. Fraus enim hæreticorum ab illa vulpecula in fabulis, dolo & aſtutia ruſtico inſultanti,delendæ in Polonia religionis Catholicæ,hoc eſt,vniuerſi perdendi regni conſilium accepit. Cuius quidem fabulæ ignorantione, aut certè, vt leuiſsimè dicam, admirabili in negotio Ieſu Chriſti torpore & ſocordia, maiores noſtri,qui tunc clauum Reipub.tenuerunt, has omnes religionis & pietatis Chriſtianæ clades ediderunt. Cognoſce vulpis huius in dolo & fraude ſagax conſilium. Hæc enim, cùm vidit ruſticum res ad victum neceſſarias vehentem, ab eo enixè poſtulauit, vt de longinquo itinere feſſam curru ſuo vehat. Negat ruſticus. Hîc illa ſingularis modeſtiæ ſpeciem induta; at ſaltem, inquit, caudam,tua beni-

nignitate,currui imponere liceat. Ruſticus ad aſtũ animum non attendens, vulpeculæ annuit. Illa verò cauda impoſita, paulatim toto corpore in currũ inſiluit, & magno damno facto, ruſticum irriſit. Ad eum planè modum, acerrimus humani generis hoſtis Sathanas, per ſuos ſatellites, Polonorum pietati & religioni inſidias ſtruxit. Non ſtatim ille ſuam licentiam cum intolerabili impietate coniunctam, in Eccleſiam ſponſam Chriſti, in ſanctos,& denique in ipſum Dei filium debachandi legibus cõmuniri poſtulauit. Sed, quod id parum ad religionem Catholicam referre dictitabat, de legibus Eccleſiaſticis primum nonnihil,non ægrè id quibuſdam Prælatis ferentibus, deinde multum detraxit. poſt à tribunali, & iudicio Eccleſiaſtico populum remouit: atque ita ad occupandas decimas & patrimonium Ieſu Chriſti aditum ſibi parauit. Quo progreſſus quid tandem non eſt auſus? An non carceres,quibus blaſphemia & impietas coercebatur perfregit, & Lutheri primùm fidei,quòd eam diceret in quibuſdam tantum ἀδιαφόρως diſsidere, blandè cauda hac homines parum ad dolos & aſtum attentos demulcens, ianuam in Poloniam aperuit. Atque in hoc etiam vulpina modeſtia ſuũ virus contexit. Mirum enim in modum primo execrabatur Sacramentarios & multò magis Anabaptiſtas & Arianos. Quo tamen

facto,

facto omnibus iſtis ſceleratiſsimis Sathanæ miniſtris, ita viam in Poloniam ad omnem licentiam muniuit; vt nunc illis cum extremæ impietatis ferro & ſicca, non ſolùm per domos, plateas, & forum, ſed etiam per ipſam regiam erecta criſta impunè liceat volitare. Ergo illa quorundam paſtorum Eccleſiæ Dei ſolatia, quos pro domo Dei pugnare pigebat, ſpem bonorum omnium fefellerũt. Aiebant iſti, funeſtam hanc religionis Chriſtianæ peſtem ſuo motu interituram. Quaſi vero, flamma, niſi ſtatim opprimatur, ita humanæ calamitatis rationem ducat; vt ante ſe ipſam à damnis miſcrorum cohibeat; quã maximis aucta ardoribus omnia incendio conficiat & conſumat. Habes igitur, REX ſereniſsime, mali huius ortum, & progreſſum: in quorum cognitione, ſalutaris medicinæ ratio ſe ipſam tibi oſtendit. Contraria enim, curantur contrariis. Minima primùm ea peſtis vaſtare cœpit: tu etiam pro tua ſingulari in Ieſum Chriſtum pietate, ea, quæ minima in religione Catholica videntur, tua maxima tutela & præſidio, comprehendes. Ieſu Chriſti & ſanctorum cultus, ſacramentorum vſus, authoritas ſedis Apoſtolicæ maxima ſunt in religione Catholica: minora illa ſunt, opes, decimæ, & honos Sacerdotum; tu tamen, REX optime, vt ipſa religionis Chriſtianæ fundamenta in priſtinum ſplendorem vindicare

care poſsis omni ratione, ne minima etiam re Sacerdotum authoritas lædatur procurabis. Magnus eſt in eo tuus honos: magna dignitas. Audi obſecro, REX ſereniſsime, in quo ſanctiſsimus ille Theodoſius Imperator, alter in Chriſtiana religione Salomon, maximè omnium populorum & nationum linguis celebretur, ſummiſque laudibus in cælum vehatur. Ferunt hũc piiſsimum Imperatorum cuidã Sacerdotem ſceleris admiſsi accuſanti reſpondiſſe: Iudicium de Sacerdotum, vita & moribus, ad ſe nõ pertinere. Ergo iſte piiſsimus Imperator, Sacroſancta tribunalia Sacerdotum, leges, honores, opes, & fortunas à ſuis ciuibus violari, euerti, & auferri grauiſsimum eſſe crimen cenſuiſſet, omniq́ue ratione tanto ſceleri obſtitiſſet: cùm de vnius mali Sacerdotis vita & moribus, iudicium à ſe inſtitui nefas eſſe iudicârit. Verùm, ſi domeſtica exempla magis ad virtutem alliciunt: præclarum in eo genere ſanctæ memoriæ Stephanus Rex, affinis tuus, ex hac mortali & caduca vita, ad beatorum ſedes & immortalem felicitatem commigrans, pietatis & virtutis Chriſtianæ monumentum poſteritati conſtituit. Ex quo tu, REX ſereniſsime, intelliges: te non in cuiuſuis hominis, ſed in Rege Stephano, in illius ſanctiſsimi Theodoſij locum, Regem Poloniæ ſucceſsiſſe. Hic alter Regni Poloniç Theodoſius quendam

dam Sacerdotẽ conuiciis nomẽ ſuum concidiſſe intellexit. Quid igitur Rex optimus fecit? an Sacerdotem ad ſuum tribunal rapi iuſsit, & iudicium læſæ maieſtatis de eo inſtitui? Minimè verò. Sed totum negotium, cum magna modeſtiæ & patientiæ ſignificatione, ad Reuerendiſsimũ Epiſcopum Præmiſlienſem, Albertum Baranouium, Regni Poloniæ Procancellarium, integritate vitæ & rerum maximarum vſu clariſsimum, detulit, eiuſque iudicio commiſit, quid in ea re faciendum, quodúe huic malo remediũ adhibendũ eſſet. Hic optimus Epiſcopus, pro ſua ſingulari ſapientia & pietate, decere Regẽ tantũ iudicauit, ei Sacerdoti conuitiũ iactũ aliquando condonare, qui agnita culpa, pro regis ſalute & dignitate ſæpiùs vota eſſet facturus. Paret religioſo Epiſcopo Rex pius & ſapiens, & loco pœnæ magna beneuolentia Sacerdotem afficit. O admirabilem Stephani Regis pietatem, & Chriſtianã humilitatẽ, literis monumentiſq; prædicandam! Non enim tãtùm piiſsimi Theodoſij Imperatoris, in hoc ſuo facto pietatem ad viuum expreſsit; verùmetiam ſuperauit. Ille enim alienã iniuriam non vindicauit; hic ſuam: ille Sacerdotem à ſuo iudicio abſoluit; hic etiam beneficentia ornauit. Atq; hæ quidem & aliæ, Stephani Regis virtutes, ſæpiùs ſeſe infinitis rerum cæleſtium cupiditatibus in lucẽ efferebant. Itaque

Staniſlaus Socolouius, vir vt vitæ ſanctimonia & ſingularis patientiæ exēplo, ita eruditionis & eloquentiæ laude celeberrimus, eiuſdē præſtantiſsimi Regis Theologus, tam inſignibus titulis, eum excellentem Regem digniſsimum eſſe iudicauit: vt eum in templo, plus quàm Sacerdotem: in Eccleſia Dei, plus quàm catholicum: in Repub. plus quàm Regem: in ſententia dicendi, plus quàm Senatorem: in iudicio, plus quàm Iuriſconſultum: in exercitu, plus quàm Imperatorem: in acie, plus quàm militem: in publica libertate tuenda, plus quàm ciuem: in amicitia colenda, plus quàm amicum: in tota reliqua vita, plus quàm philoſophum: & denique in aduerſis perferendis, iniuriiſque condonandis, plus quàm virum eſſe dixerit: hancque illius admirabilem gloriam, literarum monumentis ad omnem poſteritatem tranſmiſerit. Sed cùm hoc loco, huius piiſsimi Regis, omnia præclarè & religiosè facta enumerando non liceat percenſere; illud certè diuinæ & maximæ charitatis flumen, quod moriturus ex pectore ſuo effudit, ſilentio inuoluere nefas eſſe exiſtimo. Lege tabulas illius teſtamenti, SIGISMVNDE REX ſereniſsime, & intelliges quibus flammis amplificandæ Catholicæ religionis, & Sacerdotalis honoris, Rex fortiſsimus pectus habuerit incenſum. Ponam hoc loco aliqua teſtamenti illius

verba

verba, literis ab ipſo conſignata: *Ad te*, inquit piiſſimus Rex Stephanus, *redeo chariſſime Nepos, Princeps Tranſyluaniæ, Sigiſmunde Bathori, tibiq́; imprimis Collegiū Claudiopolitanū et Albenſe lego & cōmitto. Quæ Collegia pater tuus, & ego fundauimus, propriis ex facultatibus noſtris, ſine cuiuſquam iniuria: quos ita tuearis & defendas, quatenus animæ tuæ patriæq́; cui præes, ſalus tibi chara eſt.* O admirandā & nō humanam, ſed diuinam Stephani Regis Bathorej ſapientiam, qua ipſe Sacerdotalis dignitatis, nō externam tantùm figuram, vt vulgus ſolet; ſed intimā ipſius formam & ſpeciem animo comprehendit: hocq́; ſuo facto, vniuerſos Chriſtianos docuit, quid ſit mons ille, in quo Deus apparebat: quid arca fœderis, quæ ſæpiùs hoſtes profligabat: quid virga Moyſis, quæ maria exſiccabat, & de petra flumina educebat: quid ſtellæ in firmamēto cæli: quid porta cæleſtis: quid lux mundi: quid Eliſeus à pueris illuſus: quid Moyſes orans: quid denique Melchiſedech Sacerdos altiſsimi, pro Abrahamo ſacrificās eiq́ue benedicens? Atque hæc quidem Sacerdotij dignitas, cùm ſuo pondere in Eccleſia Dei æſtimaretur, florebant omnia, ſplendorq́ue diuinæ maieſtatis vniuerſa complere videbatur: Ioſue hoſtes mirabiliter vincebat: Gedeon paruo ſtipatus milite, maximas hoſtiū cateruas ſuperabat: vnus mille fu-

gabat Ionathas: Dauid ſternebat Goliat: Iſraëlis populus Amalechitas terrebat: vnus denique Moyſes dux & Sacerdos, virga mari percuſſo, vniuerſum Pharaonis exercitum trucidabat: columna ignea è cælo miſſa populum Dei ducebat: manna paſcebat: aqua dulciſsima ex petra manans ſitim irrigabat. His & id genus aliis ſuæ clementiæ & benignitatis clariſsimis teſtimoniis, præpotens Deus Iſraëlitici populi pietatẽ illuſtrabat. Poſteaquam verò in Iudæa Sacerdotalis dignitas eleuari cœpta eſt; è veſtigio idem Iſraëlis populus horrendis ſpectaculis eſt perterrefactus. Coræ, Dathan, & Abyron, dum Sacerdoti Moyſi authoritatẽ detrahunt, repẽtino terræ hiatu abſorbẽtur: Oza, filius Ahio, tangens fœderis arcã occiditur: Ozias Rex, Sacerdotũ munus ſibi vendicans, lepra percutitur: Regis Ioræ extenſa in Prophetã manus exſiccata, à munere vitæ & officio præciditur. Non minùs illuſtria eius rei in vtramque partem comprobandæ, in Chriſtianitate habemus exempla. Quid enim? an nõ illi clariſsimi Reges & Imperatores, qui inter gubernandi & propagandi imperij artes arctã illam Chriſtianæ religionis diſciplinã, primam & potiſsimam eſſe duxerũt, ſæpius admirabili & diuino planè modo ex hoſtibus victoriam reportârunt? An nõ & Conſtantino Magno cõtra Biſantios & Scythas, & Conſtantio cõtra
Niceph. Eccl. hiſto. li. 7
Britanio-

Britanionem & Magnentiũ pugnanti, Imperatoribus sanctissimis, signum Crucis Iesu Christi admirabili splendore circumfusum, in cælo media luce, spectante vniuerso exercitu, trementibus omnibus apparuit, eorumque hostes contriuit, prostrauit, & interemit? An non & Theodosio Christianissimo Imperatori, qui Reges cum purpura & maiestate regia, humilitatẽ Christianam, & ardens diuinæ legis studiũ coniũgere docuit, S. Ioannes, & Philippus Apostoli apparuerũt, ac candidis equis vecti, tanquã fortissimi duces, contra Eugenium maximo & robusto exercitu exultantem primi in acie dimicârunt, ac temporis momento horribilem stragem ediderunt, diuinaque & admirabili victoria Theodosium illustrârunt? Placetné illarum mentium beatarum, quas Angelos & Archangelos nominamus, præsidia videre? An non ipsemet Michaël Archangelus, totius militiæ cælestis princeps, contra Christiani nominis hostes, in Magni Constantini exercitu sæpiùs militauit, ac ipsi admirabili forma & specie apparens, veluti arctissimo fœdere amicitiæ coniuncto, de hac sua egregia in eũ volũtate significauit? Obtinuit, REX serenissime, & tui proaui pietas & virtus, Vladislai Iagellonis, eam à clementissimo Deo gratiam; vt, qui istorum sanctissimorum Imperatorum pietatem imitando exprimeret; eorum quoq;

cap. 47. & 49. & lib. 9. cap. 32.

Niceph. Eccl. hist. lib. 12. cap. 39.

Niceph. lib. 7. cap. 50.

cælestibus & admirandis triumphis,suæ virtutis bel licæ gloriam cumularet. Quid enim? an non & istũ Christiana pietate & humilitate excellentem Regẽ S. Stanislaus è sublimi cælo demissus, ac in splendidissimo aëre vniuerso exercitui apparens, contra Crucigeros iusto prælio certantem, ita diuina virtute armauit; vt maximis & fortissimis totius ferè Germaniæ copiis,cruenta & horribili cæde superatis, vniuersam Prussiam Regno Poloniæ adiunxerit? Itaque,Christianis & piissimis Principibus,illustriora & admirabiliora belli præsidia,diuinitùs cõcessa sunt; quàm illa fuerunt, quibus singularis in Deum pietas & obseruantia, Israëlis gentem nobilitauit. Quid illa alia, quæ in pace florentes, reddunt Respub. qualia & quanta fuerunt? concordia ciuium: virtutis ardor:rerum copia:salubritas aëris: optata tranquillitas: conseruatio ordinis: iustitiæ & æquitatis integritas: vitæ sanctimonia: & splendor quidam diuinæ lucis, velut manna cæleste hominum animos mirificè afficiens, & rerum diuinarum studio inflammans. Quæ omnia, pestilens hæresis, quæ à spreta contemptaq; Sacerdotali authoritate & dignitate ortum habet, vt primùm suum extulit caput, de suo gradu deiecit ac deturbauit; in eorumque locum ordinis perturbationem,impietatem, seditionem,cædem, famem, pestem,horrendũ

Rmũs Cromerus & Miechouien. in historia Polonica.

rerum

rerum omnium chaos,ac denique ſæuiſsimam iram Dei tantorum ſcelerum vltricem inuexit. Hæc Græcorum ſplendorem extinxit: Germanis belli gerendi fortitudinem ademit: Bohemiæ libertatem perfregit: Morauiæ iura euertit: Moſchouiam barbarica immanitate fœdauit: Hungariam diſcerpſit: Hyberniam afflixit: Scotiæ ſceptrum eripuit: Gallis cælitùs conceſſa dona imminuit: Flandriam ſeditionibus & bellis attriuit: denique omnium Chriſtianorũ ceruicibus impuriſsimũ Turcam impoſuit, atq; ea ratione apicem ſummæ dignitatis detraxit. Quæ Charybdis tã vorax, tot tantasq; res tam citò abſorbere potuiſset? Verùm, cùm alias nationes oratione obeo, Poloniam noſtrã, in qua hæreſis ipſa hoc noſtro infelici tempore inſigne conſtituit documentum,ſilentio præterire non licet. Etenim ad ea nunc tẽpora,neſcio qua infelicitate delapſi ſumus,in quibus vel maximè hæreſis & impietas hominũ,Sacerdotij munus ampliſsimum, cupiditate ac furore perfregit ac proſtrauit; adeò vt niſi Sacerdotio vel nobilitas generis, vel rerũ copia & opes, vel aliqua externa ſpecies, vulgi ſenſum aut animos commouens adiuncta fuerit, facilè Sacerdos in vulgarem popularemq́ue ordinem redigitur, contemnitur facilè, ſpernitur, abiicitur. Non in eo ſpectatur regalis vnctio: non Chriſti character: non diuina poteſtas:

ſtas: non claues regni cæleſtis: non ligandi & ſol-
uendi authoritas: non ſanctiſsimorum ſacramento-
rum efficientia: non diuinæ lucis & ſapientiæ com-
municatio: non tot tantaque ſalutis præſidia: non
Melchiſedechi typus & figura: nón admirabilis di-
uinæ maieſtatis vis & poteſtas: quam ſanctiſsimi pa
tres angelicæ dignitati prætulerunt: à qua celeber-
rimi illi Reges & Imperatores, ſalutis & felicitatis
ſuæ bona ſecundùm Deum promanare putauerunt:
cuius diligenti contemplatione, Chriſtiana ſapien-
tia præſtantes viri ſemper obſtupuerunt. Quid mul-
tis? hoc noſtro infelici ſeculo, Sacerdotes Dei am-
pliſsimi, ſui muneris nomen retinuerunt, ſpeciem
& decus apud homines minus ſapientes amiſerunt.
Atqui hoc eodem noſtro infelici tempore, Poloniæ
Regnum tot tantiſque difficultatibus affectum &
afflictum eſt; quantis antea nunquam: vt ex eo om-
nibus manifeſtè appareat; vt ex hominũ impietate,
contemptum Sacerdotij, ſic ex contempto ſpretóq;
Sacerdotio, omnia Reip. mala exoriri. Neq; verò
difficilè eſt, te optimo Rege cũ maximo totius Rei-
pub. commodo, ad regni gubernacula ſedente; ma-
xima tamen in Polonia mala, ſæpiùs ex multis par-
tibus oſtendere. Religio enim & pietas, eſt Reip.
fundamentum, quæ nunc in Polonia ita contracta
eſt, & adducta in anguſtum; vt non tantùm Eccle-
ſiam

ſiam Dei ſpernere: leges Dei euertere: ſanctos contemnere: illorum templa prophanare: ſtatuas confringere; verùmetiam ipſam ſanctiſsimam Trinitatem blaſphemare: filium Dei diuinitate exuere, & è ſublimi diuinæ maieſtatis ſolio deturbare, cuiùis impunè liceat. Hoc ita ſe habere omnes vident. Itaque maximam plagam ira Dei hominibus noſtris inflixit; quòd ex ea Lerna teterrimæ iſtius impietatis & blaſphemiæ, omnia mala in regni fortunas erumpere non videant. Quid enim aliud eſt Pharaonis excœcatio & Cimmeriæ tenebræ, ſi hæc tanta offuſa rebus Chriſtianis caligo nō eſt? Ac ego quidem exiſtimo, neminem, qui modò diuinis oraculis fidem habeat, dubitare, hæreſim omnium malorum Lernam & ſentinam eſſe. Nam cùm religionem & pietatem, Dei gratia & clementia conſequatur: hanc verò felix fortunatuſq; rerum omnium progreſſus, ſplendor, dignitas, omniumque bonorum maxima incrementa; profectò confitendū eſt homini Chriſtiano, ſummam blaſphemiam & impietatem, ſummi in Repub. mali fontibus ſcaturire. Sed quid argumentis opus eſt? Extant in ſacris literis teſtimonia clariſsima. Teſtis eſt vniuerſa illa generis humani propago, quam Deus iuſtiſsimus, ſolo cùm aliquot amicis conſeruato iuſto pioque Noëmo, ob ſcelus & impietatem aquis diluuij ſuffocauit. Teſtis eſt

Sodomã & Gomorrha, quam propter nefandum ſcelus, igne & ſulphure ſuccenſam, in profundiſsimum infernum demerſit. Teſtis eſt obſtinatus & ſuperbus Pharao, quem monitis diuinis parere recuſantem, cum vniuerſo exercitu rubrum mare abſorbuit. Teſtis eſt Iſraëliticus populus, cui maximorum beneficiorũ ingratiſsimo, Deus ſceleris vindex, promiſſam illam regionem, melle & lacte difluentem, negauit. Teſtis eſt Saul Rex primus Iudæorum, quẽ vt Deus ob animi ſummiſsionem in regiam dignitatem euexit; ſic eundem ipſum totamque poſteritatem, ob ſuperbum & elatum animum de ſolio regali deturbauit. Teſtis eſt Ieroboam Salomonis filius, à cuius imperio, impietas & crudelis in ciues animus maiorem partem regni ſegregauit. Teſtis eſt Nabuchodonoſor Rex Babylonis, quem ſeueriſſimus Deus, propterea quòd templa Dei vaſtârit, ſacra vaſa confregerit, Sacerdotes ſpoliârit, regno omnibuſque opibus exutum, in beſtiam conuertit. Teſtes ſunt præterea tot Reges & Principes, totque nationes, quas Deus partim ob impietatem, partim ob iniquum in Prophetas & viros Dei animum, partim ob alia ſcelera, grauiſsimis pœnis mulctauit. Teſtis denique eſt celeberrima illa Niniue, cui Ionas Propheta, niſi reſipuiſſet euerſionem denunciauit. Teſtis ad extremum eſt nobiliſsima

illa

illa Ierosolymæ ciuitas, quæ, quia verbis Christi fidem habere noluit, solo æquata, funditusque euersa & excisa est. An non igitur Sole clarius est scelere & impietate, regna & imperia concidere? Eritné iam aliquis Christianus, qui in dubiũ vocabit hæresim, impietatis parentem ad maximũ interitum regni spectare? Hoc autẽ constituto, reliquum animo Christiano & sapienti facilè occurret. Cùm enim diligenter perpenderimus, Deum impietatis vltorẽ esse, blasphemiæ verò & hæresis maximum: neque ideò, quia pœnas in longius tempus differt scelere non offendi; imò verò procrastinatione & mora, ni homines resipiscant, acriores parare pœnas; an non vehementer metuendum existimabimus; ne quemadmodum Polonia, virtuti & religioni iniecit frenum, hæresi autem & impietati omnes dissoluit habenas; ita iustissimus Deus, & acerrimus sceleris & impietatis vindex, suas cælestes copias, quibus hactenus in tot tantisque periculis Poloniam sustentauit, cohibeat; hostesque magna vi & robore instructos, ad illius euertendam Rempub. emittat? Quæ quidem Dei iustissimi maxima vindicta, an non his proximis temporibus odiis ciuium, auaritia hominum, bellis ciuilibus, fame, peste, militum prædationibus, clamoribus pauperum, tot tantorumq; machinationibus hostium erumpere videbatur? Atque

hás quidẽ Deí vindictæ malorumq; turbas, cùm viri pij & ſapientes nondũ penitùs ſedatas eſſe videant; & ramos tantùm amputatos, non autem fibras, quibus illorum radix nititur, euulſas eſſe animaduertãt, nondum ſibi quaſi depulſo omni metu exultandum eſſe ſtatuunt: affliguntur tantis Dei vindictæ cauſis: turbantur ſignificationibus: & quemadmodũ peritiſsimi nautæ in alto mari, ſignis cæli, quæ grauiſsimas commouent tempeſtates, & aliis id genus, imperitis quidem obſcuris, illis autem notiſsimis cauſis plurimùm perturbantur; ſic illi ex ſcelere & impietate, qua Deus ad magnã vindictam concitatur, magno dolore afficiuntur. Neque verò illos latet, nõ paucos nunc in Poloniȩ Regno excellenti virtute & pietate eſſe, Deumq; propter quinquaginta iuſtos, Sodomis parcere voluiſſe; ſed illud etiam interim probè ſciunt, & propter vnum Ionatham, mandatum Dei tranſgreſſum, totum exercitum Saulis, & propter vnum peccatum Dauid, totam Iudȩam grauiter, eundem iuſtiſsimum Deum, afflixiſſe. Vna eſt Dei clementia, quæ illorum mœrentes animos lenit & ſolatur. Illa, inquã, Dei clementia, quæ te, SIGISMVNDE REX ſereniſsime, illius Iagellonicæ ſtirpis, cuius ſingulari virtute & pietate, Polonia maxima ornamenta eſt cõſecuta, progenie excitata, ad huius Regni gubernacula collocauit. Neque enim Salo-

mone

mone Rege licet iuuene, ſapientiſsimo tamen & piiſsimo Iſraëlem gubernante, regnum illud diſcordia & diſſenſionibus ciuium ſciſſum, de florentiſsimo ſtatu decidit; ſed illius ſapientia & æquitate ita auctum eſt & locupletatum; vt neque antea, neq; pòſt felicius & illuſtrius fuerit vnquam. Atqui in te, REX optime, admirabilis quædam diuina ſapientia eluxit, cùm diuino lumine colluſtratus, tanto Chriſtianæ & Catholicæ religionis ſtudio exarſeras, vt Ieſu Chriſti gloriã rebus omnibus, quæ in vita ſunt chariſsimæ, vitæ denique ipſi anteferres. Nota eſt nobis inſignis tua illa pietas, cuius tu diuino illo igne, quem filius Dei Ieſus Chriſtus è cælo in terram veniens, pectoribus ſanctiſsimorum hominum immiſit, incenſus atque inflammatus, patri tuo ſereniſsimo Sueciæ Regi, te minis à religione Catholica, hoc eſt, à Ieſu Chriſto deterrere cupienti, tuum hoc diuinum caput, cum tot maximis Chriſtianis virtutibus, regio diademate cinctum, obieciſti: eóque facto, charitatem ſanctiſsimorum hominum, qui pro gloria Dei ſibi ceruices præcidi permiſerunt, inſigniter exprimente, patri tuo oſtendiſti, Ieſu Chriſti amorem, & Catholicæ religionis ſtudium, ita altè in pectore tuo radices defixiſſe ſuas, vt illud nullus dæmonis furor frangere & debilitare poſsit. O diuinam & admirandam charitatem, literis monu-

mentiſque ad ſempiternam poſteritatis memoriam celebrandam! Quòd ſi in Chriſtianitate, vt quiſque in Deum charitate flagrat, ita ſapientia excellit, propter ſpiritum ſanctum in eo inhabitantem, illiuſque animum cognitione diuina illuſtrantem; profectò admirabilis iſta tua ſapientia, illa eadem exiſtimanda eſt, cum qua Salomoni omnia bona venerunt. Eſt enim hoc in Chriſtiana doctrina ratum & fixum: pietate & religione, regna fundari, illorumque ſplendorem excitari. Propter pietatem enim & religionem in Deum, illa immenſa ſapientia cum omnibus emolumentis regni Iſraëlitici, Salomoni diuinitùs conceſſa eſt. Ac ne quis exiſtimet ſolum Salomonem, vel alium quempiam vnum, hæc tanta bona religione & pietate à Deo clemen-
1. Reg. 2. tiſsimo obtinuiſſe: *Propterea ait Dominus Deus Iſraël: loquens locutus ſum, vt domus tua, & domus patris tui miniſtraret in conſpectu meo vſque in ſempiternum. Nunc autem dicit Dominus: abſit hoc à me: ſed quicunque honorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Itaq; non dubium eſt, iſtam tuam inſignem pietatem, totius Regni Poloniæ felicitatis principium & fundamentum eſſe. Verùm vt ex iis tuæ diuinæ pietatis principiis, Regnum tuum nobiliſsimum Poloniæ, ad dignitatem & ſplendorem adducas; non tibi hîc conſiſten-

ſiſtendũ eſt: neceſſe eſt, vt flamma illa diuinæ charitatis, ſæpiùs ex pectore tuo in lucem erumpat: ſæpiùs te cæleſtis calor ad magna & prȩclara facta excitet: frequenter tot & tantæ ruinæ Eccleſiæ Dei, pietas profligata, domus Dei ſpoliata, Sacerdotij dignitas proſtrata, veſtis Ieſu Chriſti ſciſſa, patrimonium filij Dei partim direptum, partim continuis incurſionibus, & hæreticorum, & ſemicatholicorum vexatum, illam in animum tuum cogitationem inducat; vt exiſtimes, antequam Ieſu Chriſti gloriam, Sacerdotii honorem, Eccleſiæ victimas, & opes, à maioribus ſapientiſsimè ſanctiſsiméque donatas ab iniuſtis poſſeſſoribus vindices, Chriſtoq́ue & Eccleſiȩ eius reſtituas, te feciſſe nihil; exemplo Salomonis piiſsimi & ſapientiſsimi Regis: qui antequam ſumma ſapientia colluſtratus, charitate illa admirabili flagraret, qua in templum magnificentiſsimè extructum, immenſas opes & theſauros à Dauide Rege donatos, intulerat, ſe egreſſum & ingreſſum ſuum ignoràre profitebatur; tantũ abeſt, vt aliquod præclarũ opus ſe deſignaſſe exiſtimaret. Ergo antequã his præclariſsimis factis maximam Dei gratiam, & immortale decus tuo ſplendori adiungas; te Chriſtũ Dominum, qui te in vineam ſuam cæleſtibus donis cumulatum vocauit, his verbis compellantem exiſtima: Quid, SIGISMVNDE dilectiſsime fili, in vinea

nea mea ſtas tota die otioſus: cur citiùs labentẽm ſponſam meam Eccleſiam & matrem tuam, humeris tuis non ſuſtentas? cur non ex eius hortis amœniſsimis, noxias & peſtilentes herbas euellis? cur tandiu fundum & patrimonium meum, ab hoſtibus diripi permittis? cur leges meas & Eccleſiæ ſponſæ meæ hominum arbitrio, tanto tempore reuelli & reſcindi pateris? cur primo quoq; tempore Sacerdotes ſeruos meos, ex ea ſeruitute in priſtinã dignitatem non vindicas? cur tantæ licentiæ miniſtrorũ Sathanæ, meam, & ſanctorum gloriam proſcindendi, quamprimùm frenum non iniicis? cur nobilẽ gentẽ Polonam quamprimùm ex acerrimi humani generis faucibus ereptam, tua inſigni pietate omniq; alia ratione mihi nõ reſtituis? His & id genus amãtiſsimis vocibus, quoties ipſemet Ieſus Chriſtus ardens ſuæ religionis ſtudiũ in te excitat: excitat autem ſæpiùs: toties te, sereniſsime REX, pietas ad Dei augendam laudem erigat: toties virtus ad tuendam Eccleſiam efferat; vt Ieſu Chriſti religio & ſponſa eius Eccleſia, ex tot tantiſque fluctibus & procellis, tua pietate in optatum & tranquillum portum inuecta, eiuſdem Ieſu Chriſti Dñi noſtri pace, cum immortali nominis tui gloria tandem aliquando perfruatur.

LAVS DEO, ET B. V. MARIAE.